

Megjelent: június hó 1-én.

TERMÉSZETRAJZI FÜZETEK.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA SEGÉLYÉVEL
KIADJA A MAGYAR NEMZETI MÚZEUM.

SZERKESZTI

MOCSÁRY SÁNDOR.

TIZENNYOLCZADIK KÖTET.

1895.

1—2. FÜZET.

HÁROM TÁBLÁVAL.

TERMÉSZETRAJZI FÜZETEK.

Vol. XVIII. 1895.

ZEITSCHRIFT FÜR

ZOOLOGIE, BOTANIK, MINERALOGIE UND GEOLOGIE NEBST EINER REVUE FÜR DAS AUSLAND. MIT SUBVENTION DER UNGAR. AKADEMIE D. WISSENSCHAFTEN. HERAUSGEGEBEN VOM UNG. NAT. MUSEUM IN BUDAPEST.

JOURNAL FOUR

LA ZOOLOGIE, BOTANIQUE, MINÉRALOGIE ET GÉOLOGIE AVEC UNE REVUE POUR L'ÉTRANGER. SUBVENTIONNÉ PAR L'ACAD. DES SCIENCES. PUBLIÉ PAR LE MUSÉE NAT. DE HONGRIE A BUDAPEST.

PERIODICAL OF

ZOOLOGY, BOTANY, MINERALOGY AND GEOLOGY BESIDES A REVIEW FOR ABROAD. WITH THE SUBVENTION OF THE ACADEMY OF SCIENCES. EDITED BY THE HUNG. NAT. MUSEUM AT BUDAPEST.

BUDAPEST.

A MAGYAR NEMZETI MÚZEUM TULAJDONA.

Editum est 1-ma die mensis Junii 1895.

TARTALOM.

	Lap
Mocsáry Sándor. Bevezető	1
Kulesinszky László. Araneæ a Dre G. Horváth in Bessarabia, Chersoneso Taurico, Transcaucasia et Armenia Russica collectæ. Tab. I.	3
Horváth Géza dr. Species generis Prionosomus Fieb.	39
Brauns S. Descriptiones specierum novarum Ichneumonidarum e fauna Hungarica	42
Konow Fr. Neue oder wenig bekannte Tenthrediniden und eine analytische Uebersicht der Gattung Holcoeneme Knw.	50
Abafi Aigner Lajos. Lepidopterologiai megfigyelések	58
Méhely Lajos. Lacerta praticola Eversm. A magyar Fauna egy új gyilkja	62
Mocsáry Sándor. Hymenoptera parasitica educata in collectione Musæi Nationalis Hungarici	67
Méhely Lajos. A néhai Fenichel Sámuel gyűjtötte uj-guineai csúszómászók	73
Szépligeti Győző. A magyar fauna Gasteruption fajai	80
Istvánffi Gyula dr. Laboulbenia gigantea, barlangi bogarakon élő új penészfaj. Tab. II.	82
Borbás Vince dr. A Holdviola fajairól	87
Istvánffi Gyula dr. Adatok Magyarország gombáinak ismeretéhez	97
Altöldi Flatt Károly. Agrostologiai megjegyzések Perlaky Gábor Florisztikai közleményeire	111
Lőrenthey Imre dr. Néhány megjegyzés a «Lithiotis» kérdéshez. Tab. III.	116

Revue.

	Pag.
A. Mocsáry. Vorwort	122
A. Mocsáry. Wissenschaftliche Anstalten und Vereine mit welchen Schriftentausch stattfindet	124
L. Kulesinszky. Araneæ a Dre G. Horváth in Bessarabia, Chersoneso Taurico, Transcaucasia et Armenia Russica collectæ. Tab. I.	127
Dr. G. Horváth. Species generis Prionosomus Fieb.	127
S. Brauns. Descriptiones specierum novarum Ichneumonidarum e fauna Hungarica	127
Fr. Konow. Neue oder wenig bekannte Tenthrediniden und eine analytische Uebersicht der Gattung Holcoeneme Knw.	128
L. Abafi Aigner. Observationes Lepidopterologicæ	128
L. Méhely. Lacerta praticola Eversm. Eine neue Eideckse für Ungarn	128
A. Mocsáry. Hymenoptera parasitica educata in collectione Musæi Nationalis Hungarici	128
L. Méhely. Beiträge zur Herpetologie von Neu-Guinea.	128
V. Szépligeti. Species faunæ Hungariæ generis Gasteruption	136
Dr. J. Istvánffi. Eine auf höhlenbewohnenden Käfern vorkommende neue Laboulbeniacee. Tab. II.	136
Dr. V. Borbás. Ueber die Arten der Mondviole	138
Dr. J. Istvánffi. Additamenta ad cognitionem Fungorum Hungariæ	140
C. Flatt. Agrostologische Bemerkungen über Gabriel Perlaky's «Floristische Mittheilungen»	140
Dr. E. Lőrenthey. Einige Bemerkungen zur «Lithiotis»-Frage. Tab. III.	143

BEVEZETŐ.

Dr. Schmidt Sándor, nemzeti múzeumi őrs a Természetrjai Füzetek volt szerkesztője, a budapesti m. k. József-műegyetemhez az ásvány- és földtan nyilvános rendes tanárává neveztetvén ki, megvált az intézettől, s e folyóirat tovább szerkesztésével a nagyméltóságú vallás- és közoktatásügyi m. k. miniszter úr Ó Excellentiája 17258. számú, ápril hó 3-án kelt kegyes leiratával alulirottat bízta meg.

Mint új szerkesztő, irányelveimet röviden a következőkben kívánom jelezni. A HERMAN OTTÓ által 1877-ben körvonalozott s dr. SCHMIDT SÁNDOR által híven folytatott programmot, minthogy annak helyességét immár 18 évi tapasztalás igazolta, egészen a magamévá teszem. A Természetrjai Füzetek tehát első sorban a Nemzeti Múzeum kincseinek, illetőleg hazánk természetrjai viszonyainak megismertetését s általában a tudomány előbbre vitelét célozzák, s csak másodsorban szolgálhatnak a Múzeumot, vagy hazánkat nem érintő tárgyak és viszonyok ismertetésére. Ezzel kapcsolatban, főtörekvésem leendő, minden igyekezetemet oda irányítani, hogy a folyóiratnak úgy a hazában, mint a külföldön mennél nagyobb elterjedést biztosíthassak, részint az előfizetők számának szaporításával, részint pedig újabb csere-összeköttetések által. A mit annál is inkább reméllek, mert a Természetrjai Füzetek 18 évi fennállása óta a természetrjz csaknem minden

ágából hozott kisebb-nagyobb közleményeket, melyek a tudomány közkincsévé váltak s az újabb munkákba fölvetettek, és mert a folyóiratot az 1895. évtől kezdve a Magyar Tudományos Akadémia is segélyezi. Dr. Daday Jenő monographiája a Cypris dispar-ról, mely a napokban mint a XVIII-ik kötet rendkívüli melléklete jelent meg s az előfizetőknek és a zoologiai társulatoknak már megküldetett, terjedelmes voltánál fogva csakis az Akadémia segélye mellett láthatott napvilágot.

Végre igyekezni fogok a folyóirat tartalmát lehetőleg változatosá, érdekessé tenni, s hogy az — a mennyire csak lehetséges — rendszeren évnegyedenként, illetőleg kettős füzetekben a megszabott határidőn belül jelenjék meg.

Budapesten, 1895. május hó 1-én.

Mocsáry Sándor,

n. múzeumi állattári őr.

ARANEÆ A DRE G. HORVÁTH IN BESSARABIA,
 CHERSONESO TAURICO, TRANSCAUCASIA ET ARMENIA RUSSICA
 COLLECTÆ.

A LADISLAW KULCZYNSKY, Professore Cracoviensi, conscriptæ.

Tab. I.

Dominus G. HORVÁTH, director stationis entomologicæ Regni Hungariæ, anno 1893. mensibus Maio et Junio, ex invitatione Gubernaculi, iter ad varias Russiæ meridionalis Caspicæque regiones suscipiens, Insectis Arachnidisque colligendis sedulo navavit operam, Arachnidisque adlatas benevole mihi commisit lustrandas.

ATTIDÆ.*

1. **Salticus formicarius** (DE GEER). *Transcauc.* : Gelati, 28. V. mas adult., Kutais, exemplum non adultum; *Armenia* : Tshubuhli, exempl. non adult., probabiliter huius speciei.

2. **Heliophanus cupreus** (WALCK.). *Bessarabia* : Kobilka, 17. V. mas adult. *Transcauc.* : Kutais, 27. mas et femina ad.; Kvirili 31.V. fem. adult.

Femina a Cel. E. Simonio in : Les Arachnides de France III. p. 145 descripta ad aliam quandam speciem pertinet; synonymum, contra, non dubium *Heliophani cuprei* femina ea mihi videtur, quam Auctor celeberrimus *Heliophano flavipedi* adnumeravit, epigynes descriptio saltem non male in *Heliophanum cupreum* nostrum quadrat, «tubercula longa rubicunda», quibus anguli postici foveæ epigynes sæpe ornari dicuntur, certo e materiâ illâ rufâ constant, cuius mentionem feci in opere, quod *Areneae Hungariæ* inscribitur (pag. 6).

* Nomina familiarum in *-oidae* desinentia, quibus Cel. T. Thorellii auctoritatem sequens ad hoc tempus utebar, quamquam sunt melius formata, dimittenda, et eis nomina syllabis *-idae* terminata anteposenda censeo, non quoniam ita placuit zoologorum conventibus — horum enim præcepta arachnologi saltem certo non omnia tenebunt (ex. gr. non præscriptum illud, ex quo nomina trivialia a Clerckio a. 1757. araneis imposita reiicienda essent) — sed eo consilio, ut prohibeantur mutationes crebræ nominum familiarum talibus nominibus genericis, ut *Epeiroides*, *Atypoides*, nescio, quo modo allatæ.

3. *Heliophanus simplex* E. SIM. *Bessar.*: Kobilka, pullus fortasse huius speciei.

4. *Heliophanus equester* L. KOCH (Zur Arachniden- und Myriopoden-Fauna Süd-Europas. Verhändl. d. zool.-botan. Gesellsch. in Wien. 1867). *Armen.*: Aralich, 13. VI. mas ad.; Erivan 11. VI. fem. adult. (dubia).

Mas nulla re ab *Heliophano equestri*, a *Dre L. Kochio* secundum exemplum unicum, detritum, in insula Tinos lectum, descripto differre videtur. In exemplum hoc nostrum etiam descriptio *Heliophani lactei* a Cel. E. SIMONIO in «Études arachnologiques. 8-e Mém. XIV: Liste des espèces . . . des Attidæ compos. la collect. de M. le comte Keyserling», prolata adeo bene quadrat, ut nobis *H. lacteus* synonymum non dubium *Heliophani equestris* videatur; denticulus modo ille, quo margo posticus apophyseos femoralis palporum ornatur, in exemplo nostro non solum a parte exteriori posticâ — ut scripsit Cel. E. SIMON — sed etiam a latere exteriori (quamquam minus bene) conspicitur. Abdomen, ut cephalothorax, pube tectum e squamis constanti elongatis, modice dense congestis, albis, colorem flavum paullulum sentientibus. — Femina, quam non sine dubitatione huic speciei adnumeramus, colore cephalothoracis (nigri, in lateribus rufo-testacei) cum mare convenit; abdomen supra nigrum, subter pallide coloratum; cephalothorax et abdomen supra squamis tecta formâ eâdem atque in mare, dense congestis, colore medio fere inter melleum et citrinum (Saccardo: Chromotaxia), in abdomine paullulum lætius coloratâ quam in cephalothorace; mandibulæ maxillæ pedes palpi pallidius et obscurius rufo-flavida, mandibulæ colore fusco suffusæ, labium nigrum, apicem versus flavidum, sternum nigrum. Epigyne foveis duabus ornata subsemilunaribus, coniunctim spatium duplo fere latius quam longum occupantibus, inter se septo disiunctis quam fovea utraque non angustiore saltem, subplano, æque atque fovearum margines exteriores elevato, antice et præsertim postice paullulum angustato; in medio fere septum sulco valde obsoleto, transverso, leviter angulato, in dimidio posteriore sulco valde obsoleto longitudinali ornatur; latera septi parum prærupta, sensim in foveas descendunt; fovearum partes externæ profundæ, earum margo exterior in dimidio anteriore acutus, in posteriore obtusus, postice crassus; margo epigynes posticus medio in sinum modice profundum excisus. — Femina *H. lactei*, quam Cel. E. SIMON descripsit (Monographie des espèces européennes de la famille des Attides), differt ab exemplo nostro pubis colore, albæ in cephalothorace et in abdomine, hoc lineolis transversis flavidis ornato. Epigyne *H. lactei* Cel. E. SIMON non descripsit.

5. *Heliophanus Kochi* E. SIM. *Chersonesus Taur.*: Sebastopol, 24. V. mas adult.

6. *Heliophanus flavipes* (HAHN). (*Helioph. varians* E. SIM., CHYZ. & KULCZ.). *Bessarab.*: Kobilka, 17. V. mas ad.; Kishineff, 19. V. mas adult.

Heliophantum variantem E. SIM. non diversum ab *Heliophano flavipedi* (ГАБН) iam credo. Marem illius ab *H. flavipedi* distinguere nescio; feminam *H. flavipedis* a Cel. E. Simonio et a L. Beckerio descriptam feminam *H. cuprei* esse censeo, ut supra dixi.

7. *Heliophanus auratus* C. L. KOCH. *Bessar.*: Teleshovo, 16. V. mas adult.

8. *Heliophanus melinus* L. KOCH (l. c.) *Transcauc.*: Tiflis, 3. VI. femina ad., exemplum pube magnam partem detritâ, probabiler huius speciei.

9. *Heliophanus forcipifer* n. sp. *Armen.*: Aralich, 13. VI. mas adult.

Cephalothorax lateribus fusco-rufis; apophysis femoralis palporum maris in ramos duos divisa, posteriorem maiorem, fortiter procurvum, anteriorem leviter recurvatum.

Dorsum *partis cephalicae* nigrum, laterum cephalothoracis pars anterior fusco-rufa, pars posterior ut dorsum partis thoracicae nigro-fusca, colore rufo suffusa, cephalothoracis margines nigri. *Mandibulae* fusco-rufae, apicem versus pallidiores, *maxillae* fusco-flavae, *labium* et *sternum* nigra; *palporum* pars femoralis fusco-flava, apophysi pallidior, pars patellaris et tibialis flavido-fusca, tarsalis fusca; *pedes* fusco-flavidi, colore rufo parum suffusi, femora antica in latere utroque vittâ latâ, in dorso vittâ angustiore, nigricantibus, tibiae in utroque latere et supra vittis nigricantibus ornatae; pedum II. pictura similis, minus expressa; femora pedum posteriorum nigro vittata supra et antice et postice (hic tamen indistincte), tibiae in utroque latere indistincte nigro lineatae. *Abdomen* cum mamillis supra subterque nigrum, venter prope mamillas punctis duobus pallidis, parum expressis, ornatus. — In exemplo unico, quod vidi, valde detrito, squamæ quæ restant in cephalothoracis et in abdominis dorso, pellucidæ nitidæ sunt, in cephalothoracis margine squamæ albæ opacæ limbum formant angustum. Palpi squamis albis carere videntur.

Cephalothorax supra sat dense et modice fortiter, in lateribus autem admodum dense subtiliter punctatus; dorsum partis thoracicae foveâ diffusâ vadosâ transversâ ornatum, cæterum lineis impressis evidentioribus caret. *Mandibularum* dorsum obsolete transverse rugosum. *Tibiae I.* patellis circiter $\frac{1}{6}$ longiores. *Palporum* (fig. 1) pars femoralis basi subter tuberculo humili ornata, apicem versus modice incrassata, ad apicem apophysi ornata deorsum et retro et paullulum foras directâ, æque circiter longâ atque pars ipsa crassa est; quæ apophysis non procul a basi in ramos duos dividitur, posteriorem procurvum, quam anterior longiorem et crassiorem et fortius curvatum, præsertim apice, qui anteriora versus et intus directus est; ramus anterior modice recurvatus: pars patellaris circiter dimidio longior quam lata; pars tibialis valde brevis, quam tibialis 3-plo saltem brevior, in latere exteriori processu gracili nigro ornata, duplo saltem brevior, quam pars ipsa lata est, foras directo, procurvo, qui processus in palpo desuper

adspecto marginem apicalem partis patellaris attingere, a basi laminæ tarsalis autem spatio sat lato distare videtur; subter in angulo apicali exteriori pars hæc processu ornatur gracili, leviter sinuato, parti tarsali adpresso, summo apice intus et deorsum deflexo; lamina tarsalis circiter sescuplo longior quam patellaris cum tibiali, apicem versus pæne æquabiliter angustata, apice obtusa; rostrum laminæ tarsalis circiter æque longum atque $\frac{2}{3}$ bulbi genitalis (embolo excepto). Bulbus genitalis a latere adspectus subter parum inæquabiliter convexus, angulo basali exteriori dentem formanti gracilem acutum, deorsum directum, lateribus nusquam profundius excavatis; embolus eius margini apicali fere medio (lateri exteriori paullo propius) innatus, bulbi parte crassa circiter duplo brevior, anteriora versus directus, e basi sat crassâ et e parte apicali longiore, tenuiore, leviter foras arcuatâ constans.

Cephalothorax 1·7, cum abdomine 3·5 mm. longus.

10. *Heliophanus nigriceps* n. sp. *Armen.*: Erivan, 10. VI. mas ad.

Cephalothorax cum sterno rufus, areâ oculorum nigrâ, apophysis femoralis maris bifida.

Cephalothorax læte fusco-rufus, marginibus nigris, parte cephalicâ (usque ad impressionem transversam, quâ dorsum ornatur) supra nigrâ; *mandibulae* fusco-rufæ, apicem versus pallidiores, *maxillae* rufo-flavæ, *labium* rufo-fuscum, *sternum* fusco-rufum, anguste nigro limbatum. *Palporum* pars femoralis nigricans, intus et subter fusco-flavida, partes patellaris et tibialis fuscae, tarsalis nigricans. *Pedum* coxæ subter rufo-flavæ, cæteræ partes rufo-flavidæ, colore fusco suffusæ, pedum I. femora tota nigricantia, patellæ et tibiæ in utroque latere nigro lineatæ (postice obsolete), cæterorum pedum femora supra et in utroque latere, patellæ et tibiæ in utroque latere plus minusve distincte, nigro lineatæ. *Abdomen* supra cum mamillis supremis nigrum, subter nigro-fuscum, mamillæ infimæ fuscae. — *Cephalothorax* (in exemplo unico, quod vidi, detrito) squamis tectus luteis nitentibus, secundum marginem squamis albis opacis, vittam submarginalem angustam formantibus; in *abdominis* dorso squamæ pleræque versicolores nitidæ, squamæ albæ opacæ in eius margine antico fasciam formant angustam, in latera non productam, in media dorsi longitudine autem et prope mamillas paria macularum duo, parvarum (quarum anteriores rotundatæ, posteriores transversæ videntur); venter in utroque latere prope mamillas fasciâ minutâ transversâ albâ ornatus, cæterum — ut videtur — squamis decoloribus nitentibus et squamis albis dispersis tectus. *Palpi* supra lineâ albâ e squamis constanti, apicem partis femoralis et partem patellarem (et tibialem?) et laminæ tarsalis totam longitudinem occupanti.

Area oculorum dense sed parum profunde punctata et rugulosa, dorsum pone oculos modice dense et parum profunde, latera *cephalo-*

thoracis densissime subtiliter punctata. Impressio pone oculorum aream sita parum expressa, transversa, lineæ impressæ cæterum nullæ. *Mandibularum* dorsum obsolete transverse plicatum. *Palporum* pars femoralis basi subtus tuberculo parum prominenti ornata, medium versus sat fortiter incrassata, apophysis ordinaria apici quam basi propior, deorsum et retro directa, leviter arcuata, apicem versus etiam paullo intus curvata, paullo brevior, quam pars ipsa lata est a basi primo angustata, tum usque ad apicem ramorum, in quos dividitur, æquali latitudine; ramus posterior anteriore multo brevior; ambo, alter pone alterum siti, in palpo a latere viso optime conspiciuntur. Pars patellaris æque fere lata atque longa; pars tibialis eâ plus duplo brevior, latere exteriori angulato et in processum producto tenuem, duplo fere brevior quam pars ipsa lata est, foras directum, procurvum, nigrum; in palpo desuper adspecto processus hic paribus intervallis distare videtur ab apice partis patellaris et a basi laminae tarsalis; processus partis tibialis subter ad latus exterius situs similis atque in priore, summo apice deorsum et foras flexo. Lamina tarsalis duplo fere longior quam pars patellaris cum tibiali, medium versus in latere exteriori sat fortiter angustata, in dimidio apicali parum angustata, lateribus fere parallelis; rostrum laminae dimidiam bulbi longitudinem (tuberibus basilibus inclusis) fere æquans; * bulbus (fig. 2) basi late et profunde excisus, angulis basalibus ambobus, quum ab imo adspiciuntur, subæquali crassitudine; in latere exteriori paullo pone medium bulbus in sinum profundum excisus est; embolus margini apicali (qui obliquus est) interiori innatus, dimidiam bulbi longitudinem æquans, gracilis, leviter sinuatus. Bulbus directo a latere adspectus (fig. 2b) insigniter inæqualis: basi in dentem productus modice gracilem, obtusiusculum, deorsum et retro directum, in dimidio basali convexus, in apicali excavatus. *Pedum* I. tibia circiter $\frac{1}{7}$ longior quam patella. — Cephalothorax 1·8, cum abdomine 3·4 mm. longus.

E *Heliophanis* ad hoc tempus descriptis partem thoracicam plus minusve rufam habere dicuntur: *H. rufithorax* E. SIM., *H. eucharis* E. SIM. (Études arachnol. XXVI: Arachnides recueillis à Assinie), *H. niveivestis* E. SIM. (Arachnidæ transcaspicæ). *H. rufithoracis* apophysis femoralis apice subito retro flexa, in ramos duos dividitur transverse alter iuxta alterum positos, *H. eucharitis* «apophysis femoralis ad apicem intus leviter uncata est, pars tibialis apophysibus binis geminatis gracillimis brevibus ornatur»; *H. niveivestis* femina sola nota est; eius cephalothorax et abdomen squamis niveis creberrimis tegitur, parum itaque veri simile videtur, *Heliophanum nigrifrontem* marem esse *Heliophani niveivestis*.

* Cfr. fig. 2b; fig. 2 partem tarsalem ab imo et a latere postico visam representat, rostrum in ea hanc ob rem bulbo dimidio multo longius videtur.

11. *Marptusa pomatia* (WALCK.). *Bessar.*: Kishineff, 19. V. femina adulta, staturâ solito minore: 9.5 mm. longa.

12. *Dendryphantes nidicolens* (WALCK.). *Cherson. Taur.*: Jalta, *Transcauc.*: Tiflis, Usuntali; exempla non adulta, probabiliter huius speciei.

13. *Dendryphantes rudis* (SUND.). *Transcauc.*: Delishan, 8. VI. pull. et femina adulta; hæc non parum detrita quidem, secundum pubis, quæ restat, colorem, epigynes formam cæter. non dubie huius speciei.

14. *Attus vilis* n. sp. *Armen.*: Elenovka ad lacum Goktsha, 9. VI. mas et fem. adult.

Femina dorso cephalothoracis cinereo et fusco, inter oculos posticos lineolâ albâ ornato, dorso abdominis folio cinereo-fusco ornato marginibus valde inaequalibus, paribus punctorum albidorum 3-bus et angulis transversis 3-bus picto, quorum anticus totam latitudinem folii occupat, pedibus nigro-maculatis, oculorum areâ antice et postice aequali fere latitudine, marginibus superioribus oculorum anticorum lineam rectam designantibus, epigyne foveolis duabus ornata a margine postico longe remotis, inter se appropinquatis. Longit.: 5 mm.

Mas cephalothoracis lateribus albidis, eius dorso vittâ albâ longitudinali ornato, a parte posticâ areae oculorum usque ad partem superiorem declivitatis posticæ pertinenti, abdominis dorso cinereo-fusco, albido limbato, vittâ ornato mediâ, parum definitâ, marginem anticum non attingenti, in dimidio posteriore utrimque ramulo obliquo cum limbo albedo coniunctâ, palporum parte patellari supra, parte tibiali in latere exteriori albo pilosis, laminâ tarsali maculâ albâ ornata, metatarso I a tarso colore non distincto, palporum parte tibiali non incrassatâ, processu ornata apicem versus aequabiliter angustato, acuto. Long.: 3.2 mm.

Femina. Cephalothorax 2.05 mm. longus, 1.5 latus, circiter in $\frac{7}{12}$ longitudinis latissimus, lateribus leviter rotundatis, margine antico 1.3 lato, sub oculorum serie tertia 1.45 latus et quam series hæc utrimque circiter radio oculi latior; area oculorum circiter $\frac{4}{9}$ cephalothoracis occupat, quadrangulus oculorum eâ fere $\frac{1}{4}$ brevior est, postice perparum latior quam antice, $1\frac{8}{9}$ latior quam longus. In cephalothorace a latere adspecto pars dorsi media, pone oculos sita, æque circiter atque quadrangulus oculorum longa, sublibrata est; area oculorum sat fortiter declivis, arcuata, margo inferior oculi postici cum margine superiore oculi seriei 2-æ, qui paribus fere intervallis ab oculo postico et a laterali antico distat, lineam leviter anteriora versus descendentem designat, oculi lateralis antici margo superior eius radio fere demissius situs videtur, quam margo inferior oculi seriei 2-æ. *Oculorum* anticorum margines superiores lineam pæne rectam designant, eorum medii inter se proximi, a lateralibus paullulum longius remoti. Oculi laterales antici posticis paullo maiores; clypeus sub oculis mediis æque circiter atque $\frac{2}{5}$ eorum diametri altus. *Mandibulae* breves, paullulum reclinatæ, apicem versus parum angustatæ, apice parum oblique truncatæ, sulco unguiculari indistincto, in angulo apicali interiore dentibus instructæ tribus, medio lateralibus insigniter maiore, inter se proximis (dens

medius cum dente apici mandibulae propiori fere dentem unum, profunde divisum format). Coxae *pedum* anticorum plus quam labii latitudine remotae. *Sternum* aequae fere latum atque coxae IV. longae, haec coxis I. et II. sescuplo fere longiores; trochanter IV. parum brevior quam coxa. *Pedes* antici caeteris parum crassiores. Patellae anteriores inermes videntur, posteriores in utroque latere aculeo 1 ornantur, aculei in tibia I. antice 1.1, subter ad latus posticum 1.1, nullus in apice (?), in tibia II. antice 1, subter ad latus posticum 1.1 (in apice nullus ?); metatarsi I. et II. subter aculeis 2.2 ornati; tibia IV. apice aculeo 1 ornata videtur, praeterea in latere antico aculeis 3, in postico 3, supra prope medium 1, subter ad latus anticum in dimidio basali 1 instructa; metatarsus IV. aculeis, praeter apicales, 2.2 supra in dimidio basali armatus. (Pedium aculei plerique adpressi difficiliter cernuntur.) Tibia IV. apicem versus leviter dilatata et incrassata. Pedium unguiculi dentibus minutissimis, inter se proximis, armati. Patella I. 0.65, tibia 0.62, metatarsus 0.50, tarsus 0.42, partes eadem pedum II. : 0.58, 0.50, 0.45, 0.39, pedum III. : 0.52, 0.49, 0.50, 0.45, pedum IV. : 0.68, 1.17, 0.78, 0.52 mm. longae. *Abdomen* paene ellipticum, latum, antice rotundato-truncatum, mamillis prominentibus, eis exclusis 2.4 mm. longum, 2.1 latum. *Epigyne* (fig. 4) cornea, rugosa, postice medio in sinum triangularem, angulis rotundatis excisa, in dimidio anteriore foveolis duabus ornata, inter se spatium parvo disiunctis, profundis, antice in sulcos parallelas, sensim coalescentes, abeuntibus.

Cephalothorax humefactus fusco niger, *mandibulae* rufo-fuscae, *sternum* fusco-nigrum; *palpi* et *pedes* rufo-flavidi, illorum pars tibialis basi supra lineolam nigricanti ornata, hi nigro maculati et annulati: femora omnia ad apicem annulo plus minusve lato, anteriora in latere postico pone basim maculis parvis binis, transverse positis, femur III. subter pone basim maculam transversam, IV. ibidem maculam oblongam, in lineolam obsoletam productam, ornatum; patellae in utroque latere maculatae, tibiae basi latius, apice anguste annulatae (in tibiis IV. color niger supra a basi usque ad medium pertinet); metatarsi prope basim latius, apice anguste annulati; annuli plus minusve inaequales et interrupti. *Abdominis* humefacti pictura similis atque desiccata, color fusco-niger et flavido-fuscus.

Corpus squamis valde angustis, dense congestis, albis et pallide fulvis et nigris tectum. *Area oculorum* cinereo-umbrina, in margine antico medio et in angulis anticis obsolete colore pallide isabellino maculata, in lateribus colore eodem obsolete marginata, inter oculos posticos lineolam brevi albidam ornata; declivitas dorsii postica inferius nuda nigra, color caeteri dorsii albidus, anteriora versus in colorem areae oculorum sensim abit; latera cephalothoracis postice albida, anterieus fusco albida, margo niger, lineam angustissimam albam, e squamis in ipso margine infra sitis constanti ornatus; facies isabellina, medio sub oculis albida, oculorum anticorum cinguli infra albidum, supra

pallide isabellini. *Mandibulae* supra pilis longis albis pendentibus, modice densis tectæ, inferius pilis obscure coloratis dispersis instructæ. *Abdominis* dorsum (pro parte detritum) albo-cinereum folio ornatur cinereo-fusco, marginibus in maculas divulsis et valde inæqualibus; in abdomine desuper adspecto color albo-cinereus antice limbum format angustum immaculatum, in lateribus et postice sat latum et maculatum; folium maculis albido-cinereis parvis, parum definitis, his pictum videtur: in dimidio anteriore paribus tribus punctorum, quorum antica inter se et media inter se circiter crassitudine femorum anticorum distant, duo postica autem magis inter se appropinquata sunt, dimidium posterius angulis tribus ornatur, antico totam fere folii latitudinem occupanti, posterioribus multo minoribus; spatium apici folii emarginato et mamillis interiectum angulo cinereo-fusco et pone eum maculâ minore rotundatâ notatum. Abdominis latera et venter cinerascenti-albida, illa supra maculis cinereo-fuscis, plus minusve in series obliquas dispositis picta.

Mas (probabiliter huius speciei). *Cephalothorax* 1·6 mm. longus, latitudine maxima: 1·17 mm., sub oculis seriei 3-æ quam series hæc ne radio oculi quidem utrimque latior, fronte 1·07 latâ. Area oculorum $\frac{3}{7}$ cephalothoracis desuper adspecti occupat, quadrangulus oculorum eâ circiter $\frac{1}{6}$ brevior, $1\frac{7}{9}$ latior antice quam longus. *Oculi* seriei 2-æ margo superior cum margine inferiore oculi postici lineam libratam designat, margo inferior quam oculi lateralis antici margo superior paullulum plus quam radio oculi huius altius situs. Clypeus sub oculis mediis altitudine $\frac{1}{3}$ eorum diametri æquat. Cæterum cephalothorax et mandibulæ similia atque in femina. *Palporum* pars femoralis formâ vulgari, non incrassata; pars patellaris paullo longior quam lata, in latere exteriori aculeo 1 instructa; tibialis eâ parum brevior, desuper visa latere interiore leviter convexo, in latere exteriori a basi ipsâ sat fortiter dilatata, latere hoc in processum abeunti anteriora versus et paullo foras directum, levissime foras curvatum, basi exceptâ cum laminâ tarsali non contingentem, latum, apicem versus æquabiliter angustatum, acutum, quam dorsum partis ipsius brevior; processus hic, re vera lateri exteriori inferiori innatus, a latere adspectus insigniter angustior videtur quam desuper, leviter deorsum curvatus. Pars tarsalis parum longior quam patellaris cum tibiali, parum latior quam pars tibialis processu incluso; rostrum laminæ tarsalis triplo circiter brevius quam bulbus genitalis, hic (fig. 3) oblongus, apice rotundatus, basi oblique rotundatus, in latere exteriori sub partem tibialem paullo productus, parum inæqualis; partem eius posticam callus format transversus, modice definitus, qui in latere interiore in embolum abit anteriora versus directum, apice sub rostrum laminæ curvatum, modice gracilem, longe æquabiliter angustatum. *Pedes* antici non incrassati; tibiæ anteriores apice subter aculeis 2 armatæ videntur, tibia II. in exemplo

unico, quod vidi, altera in latere antico aculeo 1, altera aculeis 1.1 armata, cæterum in marem quadrant ea, quæ de pedum feminæ armaturâ diximus. Patella I. 0.52, tibia 0.62, metatarsus 0.50, tarsus 0.39, partes cædem pedum II: 0.42, 0.42, 0.41, 0.29, pedum III: 0.35, 0.40, 0.43, 0.28, pedum IV: 0.49, 0.81, 0.58, 0.39 mm. longæ. *Abdomen* pæne ellipticum, antice rotundato truncatum, mamillis prominentibus, cum eis 1.7, eis exclusis 1.5 mm. longum, 1.1 mm. latum.

Cephalothorax et *abdomen*, humefacta, fusco nigra, *mandibulæ* basi fuscæ, apice fusco-rufæ, *sternum* fusco-nigrum, *palpi* fusco-nigri, parte patellari fuscâ, *pedes* pallide ferruginei, abunde nigro maculati: femora I. maximam partem nigra, in dorso lineâ duplici parum definitâ, subter maculis duabus: basi et prope medium, fuscis ornata; cætera femora prope basim et ad apicem nigro annulata, annulis in pedibus II. et III. supra plus minusve interruptis, in lateribus dilatatis et confluentibus, femora hæc præterea in dorso lineâ fusca ornata; femorum IV. annuli supra et in utroque latere lineis nigricantibus coniuncti; patellæ in lateribus apicem versus colore nigro plus minusve suffusæ; tibiæ posteriores basi et apice annulatæ, anticæ supra et in lateribus apice nigræ, basim versus sensim pallidiores, tibiæ II. basi et apice annulatæ, annulis in lateribus plus minusve confluentibus; metatarsi prope basim et apice annulati, annulis in posterioribus melius distinctis quam in anterioribus; tarsi I. apice nigri. *Abdominis* latera fusco-nigra, colore fusco-flavido contaminata; venter fusco-flavidus, indistincte fusco maculatus. Mamillæ flavido-fuscæ.

Color corporis desiccati non parum a colore feminæ differt: *cephalothorax* vittâ mediâ albâ ornatur, declivitatis posticæ partem superiorem occupanti, antice in partem posteriorem areæ oculorum productâ, postice æque circiter atque tibiæ IV. latâ, anteriora versus paullo dilatâtâ, in areâ oculorum iterum angustâ (pone aream oculorum vitta hæc fortasse paullo interrupta est; pars hæc in exemplo unico, quod vidi, paullo detrita). Latera cephalothoracis fere tota pube albâ tecta, squamis (quæ, ut in feminâ, valde angustæ sunt) fuscis et fulvis paucis immixtis, præsertim in partibus superioribus, in cephalothorace desuper adspecto vittas formant albas, quam vitta media angustiores; declivitas postica infra nuda, superius, ut dorsi pars librata, fulvo-fusca, oculorum area fusco-cinerea, antice et in lateribus indistincte anguste pallidius limbata. Facies albida, cinguli oculorum mediorum albidî, eorum partes in intervallis oculorum sitæ aurantiacæ. *Palporum* partes femoralis et patellaris supra et in latere exteriori albo pubescentes, partis tibialis pubes alba et obscure colorata, illa latus exterius occupat, supra et in latere interiore autem parum abunda est; pars tarsalis in dimidio basali maculâ albâ mediocri ornatur, cæterum pube obscure colorâtâ tecta. *Pedum*, maximam partem pube albidâ tectorum, desiccatorum pictura multo minus distincta, quam humefactorum. Partem

maximam dorsi *abdominis* area occupat cinereo-fusca, antice et in lateralibus anguste albido cincta, supra mamillas leviter excisa, marginibus lateralibus paullo inæqualibus, parum definitis; secundum medium area hæc vittâ ornatur albidâ, parum definitâ, antice, ubi æque circiter lata est atque femora I., sensim evanescenti, marginem anticum non attingenti; vitta hæc e fasciis transversis albidis, intervallis obscurioribus angustis disiunctis constare videtur; fascia in $\frac{2}{3}$ longitudinis dorsi sita cæteris maior, usque ad margines areae fuscae producta; prope marginem anticum area punctis albidis duobus transverse positis ornatur (pars hæc in exemplo nostro paullo detrita est). Laterum et ventris pubes albida, in illis etiam pubes fulva et fusca immixta.

E speciebus mihi notis, *Atto vili* præsertim affinis est *A. distinguendus* E. SIM.; mas eius — præter res alias — differt ab *A. vili* picturâ cephalothoracis, femina marginibus posticis foveolarum, quibus epigyne ornatur, in costam transversam coniunctis. Alia species *Atto vili* adhuc similior *Attus ammophilus* THOR.* videtur; huius cephalothorax maris præter vittam mediam vittis duabus cinerascanti-albis parallelis per oculos laterales ad declivitatem posticam ductis, ornatus describitur abdomen feminae vittâ mediâ pictus longitudinali latâ, pæne per totum dorsum extensâ, quæ *postice* lineis parvis transversis angulatis obscurioribus notatur et utrimque *tres* ramos . . . eiusdem coloris emittit. — *Attus vilis* fortasse varietas modo *A. ammophili* est.

15. *Yllenus albocinctus* (KRONEB.**). *Armen.*: Aralich, 13. VI. fem. adult. Exempla hæc paullo differunt a feminis iunioribus, quas solas AL. KRONEBERG novit; hanc ob rem ea describenda censeo.

Femina. Cephalothorax 1.9 mm. longus, in $\frac{3}{5}$ longitudinis, ubi laticissimus est, 1.6 latus, margine antico 1.3 lato, sub oculis seriei 3-æ quam series hæc non lator. Area oculorum paullulum longior quam $\frac{2}{5}$ cephalothoracis, latere postico quam anticum circiter $\frac{1}{6}$ longiore, a latere adspecta insigniter declivis: margo inferior oculi postici cum margine superiore oculi seriei 2-æ lineam sublibratam designat, margo superior oculi lateralis antici eius radio saltem demissius situs quam margo inferior oculi seriei 2-æ. Pars *dorsi* pone aream oculorum sita, quam area hæc multo brevior, anteriora versus paullulum descendit; declivitas postica longa, subrecta, modice prærupta. Margines superiores *oculorum* anticorum lineam rectam designant, oculi hi inter se valde approximati; clypeus sub oculis mediis circiter radium eorum altitudine æquare videtur (margo clypei pilis longis dense

* Verzeichniss süd-russischer Spinnen et Descriptions of several european and north-african spiders.

** Puteshestwie w Turkestan A. P. FEDTSHENKO.

vestiti difficile conspicitur); oculi seriei 2-æ spatiis subæqualibus distant ab oculis posticis et ab anticis lateralibus (ab anticis paullulum longius remoti); oculi antici laterales posticis paullo maiores. *Mandibulae* paullo reclinatae, apicem versus leviter angustatae, marginibus exterioribus apicem versus inter se paullulum appropinquantibus, apice parum latiores quam basis unguis, quæ valde crassa est; sulcus unguicularis indistinctus, dentes in apice mandibularum nulli. *Labium* circiter $\frac{3}{4}$ maxillarum attingens, apice acuminatum. *Coxae* anticae inter se insigniter approximatae, ne labii latitudine quidem remotæ. *Sternum* profunde situm ita, ut margines sui difficiliter conspiciantur, latitudine circiter $\frac{7}{9}$ longitudinis æquat, inter paria pedum 2-um et 3-um, ubi latissimum videtur, paullo latius quam coxæ IV. subter longæ. *Pedes* I. cæteris non parum robustiores, eorum coxæ subter — in latere postico saltem — paullo longiores quam IV., coxæ III. cæteris breviores; trochanter IV. subter longitudine circiter $\frac{5}{6}$ coxæ æquat; unguiculi anteriores pedum I. denticulis parvis numerosis, inter se proximis ita, ut difficiliter numerentur, unoque maiore paullo ab eis remoto, unguiculi anteriores pedum IV. denticulis 7 minutis confertis unoque maiore, unguiculi posteriores dentibus mediocribus, in pedibus I. 3 (2?), in IV. 3-bus armati. Patellæ anteriores inermes, III. in latere antico aculeo 1, IV. in utroque latere aculeo 1 instructæ, tibiæ omnes supra inermes, I. subter modo aculeis 2.2.2, II. subter ad latus anticum 1 in apice, ad posticum 1.1 (nullo in apice), tibiæ III. et IV. in utroque latere aculeis binis, metatarsi anteriores subter modo aculeati (2.2), posteriores in latere utroque ad dorsum aculeis 1.1 (pone basim et ad apicem), præterea in apice inferius in latere antico aculeis 2, in postico 1 armati. *Pedes* posteriores extensi, retro et foras directi, III-ii paris apicem tibiarum IV. fere attingunt. Pedum I. patella 0.65, tibia 0.62, metatarsus 0.35, tarsus (unguiculis exclusis) 0.42, partes eadem pedum II.: 0.58, 0.45, 0.35, 0.40, femur III. 1.0, pat. 0.52, tib. 0.52, met. 0.49, tars. 0.45, fem. IV. 1.4, pat. 0.68, tib. 0.71, met. 0.66, tars. 0.49 mm. longus. *Abdomen* late ovatum, antice truncatum, mamillis plus minusve prominentibus, eis exclusis 2.4 mm. longum, 1.9 latum. *Epigyne* foveâ ornatur sat magnâ, valde vadosâ et perparum definitâ, antice et in lateribus rotundatâ, fundo posteriora versus sensim adscendenti usque ad marginem posticum, qui modice induratus est, late rotundatus aut medio late levissime sinuatus, libratus fere aut medio paullulum elevatus; in parte anteriore foveæ puncta duo conspiciuntur maiuscula, inter se parum remota (certo foramina bursarum seminalium); humefacta epigyne (fig. 5) maximam partem pallida, margine postico plus minusve infuscato et medio modo angulo modo maculâ triangulâ, æque longâ ac latâ aut multo latiore quam longâ ornato; ad maculam hanc mediam utrimque circuli translucentes (bursæ seminales) conspiciuntur, quæ cum circulis aliis minoribus (punctis supra dictis) in

foveæ parte anteriore sitis, vittis coniunguntur primo anteriora versus et intus directis, tum foras curvatis.

Cephalothorax humefactus fusco-niger, maculâ sat magnâ pone oculum posticum utrumque sitâ et vittâ submarginali parum latâ paullo pallidioribus. *Mandibulae* fuscae, *sternum* flavo-fuscum, marginibus nigricantibus. *Pulpi* pallide flavidi, parte tibiali basi supra maculâ nigricanti ornatâ. *Pedum* coxæ et femora cinereo-flavida, cæteræ partes pallide fusco-flavida, colore nigro-fusco maculata: femora omnia ad apicem annulo ornata, in pedibus anterioribus subter interrupto, in posterioribus subter obsoleto, patellæ in latere utroque maculâ singula pictæ, tibiæ basi et apice (basi latius et distinctius) annulata, annulis supra aut subter aut supra et subter plus minusve interruptis, tibiæ anteriores nonnunquam toto latere posteriore colore fusco-nigro picto, metatarsi basi et apice, tarsi basi annulati. *Pedum* — præsertim femorum — pictura insigniter variare videtur: color nigricans et fuscus nonnunquam totum fere latus posterius femorum anteriorum et latus anterius femorum posteriorum occupat; partes, quæ restant tum fusco-flavida, maculas formant binas oblongas, ad basim et prope apicem femorum, in pedibus anterioribus melius expressas quam in posterioribus. *Abdomen* supra fuscum, cinereo-flavido maculatum (vide infra!), lateribus et ventre flavido-cinereis, illis fusco punctatis, hoc vittis duabus obsoletis pallide fuscis, a scutis pulmonalibus mamillas versus ductis, posteriora versus inter se appropinquantibus, ornato. Mamillæ supremæ nigro-fuscae, infimæ fuscae.

Cephalothorax, abdomen, pedes supra et in lateribus squamis confertis, nigris et aurantiacis (dispersis) et modo albis aut cinereo-albis modo albis et ochroleucis tecta; sternum et pedes subter longe albo villosa; etiam partes, quæ squamis confertis teguntur, pilis longis obscure coloratis instructæ. Pictura corporis desiccati plus minusve definita, e maculis pæne albis in fundo nigro-fusco, aut cinereo-albis in fundo cinereo-fusco constat. *Cephalothorax* limbo marginali albo parum lato, ad eum vittâ angustâ nigrâ ornatus; latera cæterum fusca, squamis pallidis numerosis immixtis præsertim in parte anteriore et margines versus; area oculorum antice albida, posteriora versus sensim obscurior, maculis pallidioribus ornata: in margine antico medio, in angulis anticis, inter oculos seriei 2-æ et 3-æ, denique in dimidio anteriore maculis duabus, medio quam lateri propioribus; omnes hæ maculæ parum definitæ, inter se plus minusve coniunctæ; dorsi pars pone oculos sita nigra squamis pallidis paucis immixtis aut murina, pone oculum posticum utrumque maculâ magnâ albâ aut cinereo-albâ ornatur, subtriangulari lateribus fortiter curvatis: antico profunde, interno minus profunde excavato, posteriore externo angulato; area obscura, his maculis limitata, æque circiter atque maculæ ipsæ lata. Facies tota cum cingulis oculorum alba aut albida; *mandibulae* basim versus

dense squamis albidis latiusculis tectæ, apicem versus pilis albidis instructæ. *Pedum* desiccatorum pictura similis atque humefactorum. *Abdominis* dorsum antice fasciâ ornatum sat latâ inæquali recurvatâ, paullo ante medium fasciâ recurvatâ inæquali, medio angustiore, nonnunquam anguste interruptâ, in lateribus æque fere latâ atque patellæ IV. longæ sunt, aut angustiore, et punctis paucis nigris contaminatâ; pone hanc fasciam dorsum serie mediâ macularum trium ornatur parvarum, formâ variantium (angulatarum aut rotundatarum, nonnunquam valde indistinctarum); partes denique dorsi desuper ad specti posticas laterales maculæ occupant pallidæ, punctis nigris maiusculis paucis contaminatæ, triangulæ, latere antico et interiore excavato, antice usque fere ad fasciam mediam productæ, postice ad mamillas inter se coniunctæ, angulo interno producto et cum maculâ mediâ postremâ plus minusve coniuncto; spatium obscure coloratum, maculis his inclusum, æque circiter longum ac latum, latitudine circiter tibias pedum modo anticorum modo posticorum æquat. Margines areæ obscure dorsum abdominis occupantis valde inæquales et indistincti; latera abdominis et venter cinerascenti aut flavido-albida, illa versus dorsum fusco maculata, hic concolor.

16. *Aelurillus festivus* (C. L. KOCH). *Bessar.*: Kobilka, 17. V. mas adult.; Teleshovo, pullus; Kishineff, pullus, sine dubio huius speciei.

17. *Ergane arcuata* (CLERCK). *Bessar.*: Loganeshiti, 15. V. mas ad. et pull. *Transcauc.*: Kutais, pullus detritus, qui huius speciei videtur.

18. *Mævia castriesiana* (GRUBE *). (*Maevia multipunctata* E. SIM.). *Transcauc.*: Batum, fem. adult.; Tiflis, pullus.

Attus castriesianus GRUBE synonymum non dubium est *Atti multipunctati* E. SIM. 1869 et *Atti Pavesii* E. SIM. 1875. Vidi exempla huius speciei ad fluvium Ussuri in Asia orientali lecta.

OXYOPIDÆ.

19. *Oxyopes lineatus* (LATR.). *Transcauc.*: Gelati, pull.; Axtafa, pull.; Tiflis, pull.; Kutais, pull.; *Armen.*: Erivan, 10. VI. mas adult. et pull.

Mas ad Erivan lectus ad formam aliqua ex parte mediam inter *Ox. lineatum typicum* et var. *nigripalpem* m. pertinet, quam: formam *intermediam* appello. Eius cephalothorax pallide rufo-testaceus, colore fusco paullulum suffusus, vittis tribus fuscis et nigris ornatus: mediâ in declivi-

* «*Attus castriesianus.*» Beschreibungen neuer von den Herren L. von SCHRENCK, MAACK, C. v. DITMAR u. a. im Amurlande und in Ostsibirien gesammelter Arachniden. 1861.

tatis posticæ parte supremâ initium capienti, in dorso partis thoracicæ æque circiter atque pedum tibiæ latâ, in parte cephalicâ fortiter, sinuato dilatata et paullo latiore quam spatium ab oculis postremis occupatum; vittæ laterales spatiis fere æqualibus a vittâ mediâ et a marginibus cephalothoracis remotæ, postice paullo longius productæ quam vitta media, eâ paullo latiores, posteriora versus paullo angustatæ et leviter incurvatæ, antice marginem inferiorem oculorum seriei 3-æ attingunt, dilatantur et diffunduntur; facies cum mandibulis fusca, colore rufo suffusa, vittis nigricantibus, quibus *forma typica* ornatur, parum expressis. Sternum rufo-testaceum, marginibus et vittâ mediâ nigris; hæc cum illis utrimque lineis obliquis binis fuscis coniuncta. Palporum pars femoralis subter nigricans, supra et in lateribus fusco-flavida, in latere exteriori apicem versus nigricans; partes patellaris et tibialis supra fusco-flavidæ, in lateribus (præsertim pars tibialis in latere exteriori) nigricantes. Lamina tarsalis nigra, rostro fusco-flavido; palporum forma eadem atque in *forma nigripalpi* (pars tibialis desuper visa in latere exteriori non procul a basi dente parvo ornata, rostrum laminae tarsalis parum longius quam $\frac{2}{3}$ bulbi genitalis).

20. *Oxyopes heterophthalmus* (LATR.). *Bessar.*: Loganeshti, pull. *Transcauc.*: Tiflis, 3. VI. mas et fem. adult.; Axtafa, 7. VI. fem. adult.

LYCOSIDÆ.

21. *Tarentula taeniopus* n. sp. *Transcauc.*: Kvirili, 31.V. fem. adult. ovis depositis. — Speciei huius pauca exempla, mares et feminas, possideo in Caucaso ad Lagodechi ab A. ULANOWSKI collecta.

Adeo affinis et similis est *Tarentula taeniopus*, *Tarentulae striatipedi* (DOL.) et *T. striatae* n. sp., ut satis sit notare, quibus rebus ab eis differat.

Lamella characteristicæ* palporum maris *T. striatae* (fig. 8) ab imo adspecta ambitu pæne deltoidea, margine apicali sive externo paullulum sinuato: anterieus convexo, posterius excavato, latere postico leviter concavo, angulo antico exteriori obtuso, exteriori postico acuto (etiam quadrata dici potest, lamella characteristicæ, angulo antico interiori paullo producto); in latere exteriori sive apicali, prope angulum anticum, dente ornatur nigro deorsum directo, leviter incurvato, acuto, paullo compresso (a latere interiori et paullo a parte posticâ adspectus dens hic late triangularis videtur, apice in latere posteriore leviter, oblique truncato; a fronte adspectus insigniter angustior, leviter incurvatus, apicem versus æqualiter angustatus, acutus); latus posticum lamellæ replicatum carinam format tenuem angustam, foras et anteriora versus directam, apicem versus foras curvatam, cuius apex externus paullulum ultra aream lamellæ pro-

* Cfr. Araneæ Hungariæ. Tom. I. pag. 53.

ductus angulum eius apicalem posticum format; angulus hic a lineâ medianâ bulbi longius remotus est quam dens anterior supra dictus, a dente eo et a margine apicali «partis basalis» bulbi paribus fere intervallis distat. A latere interiore et paullo a parte posticâ adspecti: dens anterior et angulus posticus sinu inter se distant pæne æquabiliter arcuato, duplo saltem latiore quam profundo, angulus posticus paullo minor est et angustior et magis acutus quam dens anterior. Verus apex lamellæ characteristicæ in palpo ab imo adspecto non aut difficiliter conspicitur: triangulum format latum humile pellucidum, basi cum toto fere latere externo lamellæ conatum, reflexum sive sursum (bulbum versus) et paullo foras directum.

T. striatipedis lamella characteristicæ (fig. 7) ab imo adspecta ambitu trapezoidea, latere exteriori postico cæteris omnibus multo brevior (etiam triangularis dici potest, angulo apicali s. exteriori in latere postico sat late quidem, valde oblique tamen truncato); latus anticum sat fortiter convexum, posticum subrectum (levissime excavatum), apicale subrectum; ipse angulus anticus exterior paullo deflexus dentem format parvum nigrum acutum, insigniter minorem quam in priore; margo posticus lamellæ sat late supra aream lamellæ replicatus carinam format foras et anteriora versus directam, insigniter altiore quam in priore; apex carinæ acutus dentem format a dente anteriore parum remotum et quam ille lineæ medianæ bulbi propiorem. In palpo a latere interiore et paullo a fronte adspecto dentes ambo sinu parvo inter se remoti videntur, æque circiter lato atque profundo et quam dens posterior non latiore; dens posterior anteriore latior, apice late truncatus, angulo antico acuto, postico obtuso, dens anterior pæne triangularis (et dentes et sinus variant paullo formâ). Verum apicem lamellæ char. triangulum format simile atque in priore, sed angustius, ut videtur.

T. taeniopodis lamella characteristicæ (fig. 6) ab imo adspecta ambitu quadrangularis, latere apicali sive exteriori in sinum profundum rotundatum exciso, angulo apicali anteriore iatius, posteriore anguste rotundato; latus posticum et anticum leviter rotundata, apicem versus inter se paullo appropinquantia. Angulus apicalis anterior paullo deflexus dentem format oblique positum, brevem, latum, omnino obtusum (quum a latere interiore adspicitur; in palpo a fronte viso difficiliter conspicitur parvus acutus). Latus lamellæ externum (sive apicale) medium deflexum dentem alium format nigrum sat latum, apicem versus non angustatum, apice late paullo oblique truncatum, angulo posteriore acuto (quum a latere interiore adspicitur), a dente anteriore parum remotum, pone eum et lineæ medianæ bulbi propius situm. A parte interiore anticâ adspecti dentes sinum includunt parvum rotundatum, non latiore quam dentes.

Differt *T. taeniopus* a *T. striatipedi* et *T. striata* etiam colore sterni fulvi, quam coxæ pedum non multo obscuriore (in exemplis *T. striatipedis*

et *T. striatae* omnibus, quæ vidi, sternum fuscum aut nigrum, coxis multo obscurius inveni; sed nota hæc certo non constans est; *femina* enim unica a Cel. DRG HORVÁTH lecta, quæ ova deposuerat, sterni — fusco-nigri — colore ab ambabus reliquis speciebus non differt.*

Feminae inter se difficiliter distinguuntur, imo femina *T. striatae* fortasse non semper a *T. striatipedi* distingui potest.

Ex epigynes areâ corneâ rugosâ pilosâ, parum definitâ sulco varium in modum recurvato pars media postica desecatur, glabra, quam hic areolam appellamus:

T. striatae areola (fig. 12) 0·52—0·54 mm. lata, ca. 0·32 longa, fere pentagona aut fere trapezica: marginibus lateralibus posteriora versus a se discedentibus, latere postico cæteris longiore late rotundato aut in angulum latum fracto. Latus anticum leviter rotundatum aut pæne rectum, medio in dentem *nullum* productum. In angulis lateralibus areola nigra et plus minusve lævis est, partes hæc nonnunquam postice depressione limitantur, aut areola inter eas et apicem posticum utrimque foveâ parum definitâ ornatur; cæterum tota areola rufo-fusca, pæne librata, ubique rugosa. Sulcus, quo areola antice limitatur, arcum format latum recurvum, parum inæquabiliter curvatum, medio nonnunquam levissime sinuatum, utrimque, non procul ab angulis lateralibus anticis areolæ, in foveolam profundioram dilatatum; foveolæ hæc circiter 0·37—0·44 mm. inter se distant. Cætera pars epigynes, medio plus minusve impressa, in nullum tuberculum evidentius elevata.

T. taeniopodis areola (fig. 9) 0·29—0·32 mm. lata, dente antico (ca. 0·03 mm. longo) incluso 0·23—0·26 longa, in utroque latere rotundata, margine antico medio in dentem producto, margine postico in angulum fracto latum apice rotundatum, cruribus nonnunquam leviter sinuatis. Partes laterales anteriores areolæ tubercula formant nigra nitida lævia, postice solum impressione limitata; quæ impressiones ambæ modo depressione transversâ inter se coniunguntur, apex areolæ posticus tum paullo elevatus apparet, modo disiunctæ sunt, areola tum in lineâ medianâ pæne librata est. Pars areolæ antica, dente incluso, lævis nitidissima, pars posterior plus minusve rugosa. Sulcus, quo areola definitur, non parum inæquabiliter curvatus, medio angulum aut arcum parvum (aperturâ 0·03—0·06 mm.) format pro receptione dentis antici areolæ, ad eum utrimque sinuatus est; area epigynes anterior postice utrimque, ad areolæ marginem anticum, in foveolas impressa est 0·16—0·18 mm. inter se remotas, inter eas, circa

* Similem in modum variat *Tarentula pastoralis* (E. SIM.), cuius sternum a Cel. E. Simonio in mare fusco-rufum, coxis non obscurius, in femina nigrum describitur. Pauca exempla huius speciei ab amico meo J. Bogusz in monte Vinaigre (Var) collecta mihiq; dono data, masculina, sternum obscure fuscum, colore rufo paullo suffusum, coxis multo obscurius habent.

dentem anticum areolæ tuberculum format læve nitidissimum, circa 0·14 mm. latum, in lateribus optime definitum; ante tuberculum area foveâ ornatur latâ, sat profundâ, diffusâ.

Epigyne *T. striatipedis* magnopere variat: rarissime eam formam habet, quam in «Araneæ Hungariæ» delineavi (tab. II, fig. 32a), areolâ 0·54 mm. latâ, cum dente antico vix 0·16, eo excluso 0·21 mm. longâ, marginibus antico et postico in universum parallelis; exemplum tali epigynes formâ unicum vidi, ad Budatin in Hungaria captum; eodem loco inventum est aliud exemplum epigynes formâ in contrariam partem a formâ vulgari maxime inter omnia, quæ vidi, discedens (fig. 11): areolâ pæne triangulari, sescuplo longiore quam latâ (0·45 mm. latâ, 0·29 longâ), basi sive latere postico in angulum latum fractâ et utrimque leviter sinuatâ, angulis lateralibus late rotundatis, latere antico utroque fortiter curvato concavo, ita ut areola antice in dentem acutum excurrat magnum, basi circiter 0·16 mm. latum, circa 0·13 longum. Plerumque areola, duplo latior est quam longa, angulis lateralibus et postico rotundatis, lateribus posterioribus plus minusve sinuatis, anterioribus excavatis et dentem includentibus sæpissime acutum. Partes laterales areolæ tubercula similia formant atque in prioribus; postice inter apicem et angulos laterales areola impressione plus minusve distinctâ utrimque ornatur; tuberculis lateralibus exceptis areola tota rugosa est et parum nitet, rarius dens anticus cæteris partibus paullo magis lævis et nitidus, Epigynes area anterior ad marginem posticum utrimque foveolâ ornatur, ab oppositâ circiter 0·32 mm. distanti: eius margo inter foveolas in arcum curvatus est formâ valde variantem et tuberculum format in aliis exemplis in lateribus et antice bene definitum, maximam partem nitidum læve, in aliis nullum. In exemplis 18 exacte dimensis (ad Vindobonam ab amico meo B. KOVULA collectis) variat areolæ latitudo inter 0·43 et 0·49 mm., eius longitudo, dente antico incluso, inter 0·16 et 0·26, dente excluso inter 0·13 et 0·18 (dentis longitudo, quæ quidem difficiliter æstimatur: 0·03—0·10), intervallum foveolarum: 0·29—0·37, apertura arcus, in quem excisus est margo medius posticus partis anterioris epigynes: 0·10—0·18 mm.

Differunt itaque *T. striatipes* et *T. taeniopus* inter se imprimis latitudine areolæ et latitudine arcus, quo dens areolæ anticus circumdatur; *T. striata* non differt a speciminibus quibusdam *T. striatipedis* nisi areolâ antice rotundatâ, in dentem nullum productâ; dens hic tamen etiam in *T. striatipedi* nonnunquam adeo parum expressus est, ut distinctio harum specierum non parvis difficultatibus sit obstructa. — Utrum *T. striata*, cuius exempla pauca tantum vidi (mares 2 et feminas 3, in Polonia ad Cracoviam lecta), propria sit species, an forma modo *T. striatipedis*, porro inquirendum videtur; esse enim potest, quamquam parum veri simile censeo, ut supra descripta differentia inter lamellas characteristicas *T. stri-*

atipedis et *T. striatae* ex eo solum pendeat, quod lamella illius magis convoluta sit, huius magis explanata.

PISAURIDÆ.

22. *Pisauria mirabilis* (CLERCK). *Bessar.* : Teleshovo, 16. V. fem. pelle nuper exutâ et exempla nondum adulta. Feminae huius epigyne ab apicibus costarum anticarum usque ad marginem posticum 0.48 mm. longa est, in dimidio posteriore 0.36 lata; area in parte posteriore inclusa 0.24 lata, sescuplo fere latior quam in lateribus longa, limbo circumdata lato obtuso, postice duplo latiore quam in lateribus (0.13 et 0.065 lato), in margine postico medio in dentem brevem latum producta, lateribus in dimidio anteriore paullulum sinuatis, angulis anticis apice obtusis, anteriora versus et parum foras directis. Costæ, quibus pars epigyne anterior ornatur, crassæ obtusæ, apice obtuso, parum dilatato, paullo incurvato, antice inter se fere contingentes, foveam includunt æque circiter latam atque costarum apices dilatati, duplo circiter longiorem quam latam, antice breviter, posterius autem longe angustatam. — Differt itaque hæc epigyne non parum ab epigyne exemplorum ætate magis provectâ; ex. gr. in exemplo quodam, quod ova deposuerat, epigynen 0.60 mm. longam, postice 0.52 latam inveni, areâ posticâ 0.44 latâ, 0.26 longâ, in lateris utriusque parte anteriore foveâ profundâ et magnâ ornatâ, quæ fovea in latere interiore et antice costâ circumdatur ex areâ exeunti, anteriora versus directâ, tum foras curvatâ et usque ad latus externum areâ productâ. Limbus areæ in lateribus acutus, postice 0.08 latus. Costæ in epigyne parte anteriore sitæ subacutæ, apicem versus fortiter dilatatæ, apice extrinsecus convexo, intus excavato, itaque acuminatæ; apices earum circiter 0.10 mm. inter se distant, costâ tamen transverse positâ, humili coniunguntur; fovea costis inclusa ca 0.13 lata, circiter sescuplo longior quam lata, antice rotundata, postice acuta. — Nihilominus feminam eam ad Teleshovo captam speciei propriæ adnumerare non audeo, nam epigyne *Pisaurae mirabilis* insigniter mutatur progrediente ætate et in exemplis subadultis, in quibus sub cuticulâ translucens conspici potest, simili est formâ atque in feminâ hac nostra, quæ pellem nuper exuerat.

AGALENIDÆ.

22. *Tegenaria inc. spec. Transcauc.* : Gelati, fem. iuvenis, *T. campestri* C. L. Кочн similis, fortasse ab ea non diversa.

CLUBIONIDÆ.

23. *Anyp hæna accentuata* (WALCK.). *Transcauc.*: Delishan, 8. VI. fem. adulta.

24. *Chiracanthium lapidicolens* E. SIM.? *Bessar.*: Loganesthi, iuven.

25. *Chiracanthium elegans* THOR.? *Bessar.*: Teleshovo, iuven.

26. *Chiracanthium pelagicum* (C. L. KOCH)? *Bessar.*: Teleshovo, iuv.; *Transcauc.*: Delishan, fem. adult.; *Armen.*: Sucho-Fontan, pull. in *Ferula Asa foetida*.

27. *Chiracanthium Pennyi* O. P. CAMBR.? *Bessar.*: Teleshovo, iuv.; Loganesthi, iuv.; Kishineff, iuv.; *Armen.*: Aralich, fem. adult.

Omnes hæ species valde dubiæ, mares enim desunt; feminas adultas (quæ in hoc genere plerumque difficile, non raro difficillime agnoscuntur) duas tantum legit Cel. Dr. HORVÁTH earum altera, quam ad *Ch. Pennyi* retuli, staturâ est pro hac specie nimis parvâ (cephal. 2.5 mm. longo), alterius (*Ch. pelagici*?) color abdominis maximam partem deletus.

Cel. E. SIMON *Ch. elegans*, a Cel. T. THORELLIO a 1875 descriptum, cuius mandibulæ maris basim versus tuberculo ornantur, non recte pro synonymo *Ch. erronei* O. P. CAMBR. habuit (Les Arachn. de France. III. pag. 253); *Ch. elegans* THOR. idem mihi videtur atque *Ch. Letochæ* L. KOCH 1876.

THOMISIDÆ.

28. *Tibellus parallelus* (C. L. KOCH). *Armenia*: Aralich, 13. VI. mas et fem. adult. Præterea exempla non adulta, probabiliter huius speciei: *Bessar.*: Peresetshina, Loganesthi, Kishineff; *Transcauc.*: Kutais.

29. *Tibellus oblongiusculus* (LUC.). *Transcauc.*: Usuntali, exempl. non adultum, paullo dubium; *Armen.*: Aralich, 13. VI. fem. adulta.

30. *Thanatus imbecillus* L. KOCH.* *Transcauc.*: Tiflis, 3. VI. fem. adulta.

Cephalothorax paullulum longior est quam tibia IV. (circiter 0.15 mm. = $\frac{1}{8}$ patellæ IV.); in *Th. arenario* THOR. cephalothorax tibiam IV. cum dimidia patella æquat. In oculorum anticorum situ differentiam inter *Th. imbecillum* et *Th. arenarium* a Cel. Dre L. KOCHIO notatam cernere non possum. Epigyne *Th. imbecilli* (fig. 13) differt non parum ab epigyne *Th. arenarii*, nescio tamen, an constanter, quum unicum modo exemplum illius viderim. Fovea epigyne lateribus fortiter rotundatis, duplo fere latior quam longa, marginibus — excepto medio postico, qui depressus

* In: Naturwissenschaftliche Beiträge zur Kenntniss der Kaukasusländer, auf Grund seiner Sammelbeute herausgegeben von Dr. OSCAR SCHNEIDER. Dresden, 1878.

est — acutis circumdata, profunda; marginis antici medii pars latitudine dimidiam foveam æquans in foveam ingreditur et ligulam format duplo fere latiore quam longam, triangularem, lateribus leviter rotundatis et paullulum elevatis, libratam et æque atque foveæ margines elevatam; quæ ligula pars antica septi est, cuius pars reliqua in fundo foveæ iacet, supra eum vix elevata, foveæ latitudinem dimidiam paullo superans, lateribus paullulum rotundatis, apicem versus paullulum angustata. In epigyne ab imo adspectâ margines foveæ laterales cum marginibus septi areas includunt latas pæne semicirculares. *Th. arenarii* fovea eâdem fere est latitudine atque septum, hoc totum in foveam impressum, parte anticâ non elevatâ.

31. *Philodromus dispar* (WALCK.). *Bessar.*: Kobilka, pull.; *Transcauc.*: Delishan, 3. VI. mas et fem. adult.

32. *Philodromus rufus* WALCK. *Chers. Taur.*: Jalta, 20. VI. fem. adult. probabiliter huius speciei, colore abdominis deperdito.

33. *Philodromus lepidus* BLACKW. (*Ph. maritimus* E. SIM.). *Armen.*: Aralich, 13. VI. fem. adult. et iuven. — Nescio, an recte ad hanc speciem, mihi ignotam, quæ teste Cel. E. SIMONIO in Europa meridionali, Africa septentrionali, Transcaspia occurrit, retulerim exempla pauca *Philodromo fallaci* SUND. in insulâ Norderney invento satis similia. A descriptione Cel. E. SIMONII in Les Arachnides de France differre hæc exempla videntur oculis posticis mediis quam laterales non minoribus; dorsum abdominis eorum in dimidio posteriore secundum medium albidum est, versus latera cinereum et fusco punctatum; area hoc colore picta angustior quam abdomen, ovata, postice acuminata, in latere utroque maculis ornatu parvis obliquis alternantibus albis quatuor et fuscis quatuor; maculæ albæ 1-a et 3-a foras paullo productæ; maculæ fusæ binæ oppositæ lineolis transversis fuscis coniunguntur binis (quarum posterior quæque anteriore melius expressa est), anteriores angulatis, posteriores arcuatis; pars postica areæ angusta, modo satis obsoleta fusca, modo in lineolas fuscas transversas circiter quatuor divulsa, mamillas attingit; tota hæc pictura insigniter varians, nonnunquam, maculis lateralibus et parte posticâ exceptis, valde indistincta. Pedes pallidi sat dense punctis fusco-nigris adpersi, annulis carent aut annulis obsoletis e punctis densius congestis formatis ornantur.

34. *Philodromus aureolus* (CLERCK). *Transcauc.*: Delishan, 8. VI. mas et fem. adult., typica. Exempla non adulta, probabiliter huius speciei, collecta sunt in *Bessar.*: Teleshovo, Kishineff, *Transcauc.*: Kutais, Kvirili, *Armen.*: Tshubuhli.

35. *Philodromus aureolus* (CLERCK). *Subsp.*: *cæspiticola* (WALCK.). *Bessar.*: Loganeshiti; *Transcauc.*: Gelati; exempla non adulta, fortasse huius subspeciei.

36. *Philodromus collinus* C. L. KOCH? *Transcauc.*: Delishan, exempla non adulta.

37. *Philodromus dilutus* THOR.? *Transcauc.*: Tiflis, pullus fortasse huius speciei.

38. *Philodromus iuvenus* n. sp. *Armen.*: Aralich, 13. VI. femina adult.

Femina cephalothorace aequae longo ac lato, oculis anticis paene aequalibus, mediis inter se fere tripla sua diametro remotis, mediis posticis quam antici paullulum minoribus, inter se longius quam ab eis remotis, lateralibus posticis a mediis posticis et a lateralibus anticis paribus fere intervallis distantibus, tibiis anterioribus subter aculeis 2.2.2 armatis, pedibus non annulatis, abdominis dorso similem in modum atque in Ph. aureolo picto, ochroleuco et pallide violaceo-fulvo, epigyne partibus corneis carenti, foveolis duabus oblongis longitudinalibus instructa, humefacta lineis fuscis ornata duabus paene parallelis, antice foras non curvatis. Long. 4.2 mm.

Cephalothorax 1.65 mm. longus et latus. *Oculi* medii postici anticis paullulum minores, caeteri subæquales (fortasse antici medii lateralibus perparum maiores, lateralibus posticis perparum minores); antici medii inter se et ab oculis mediis posticis intervallis pæne æqualibus, diametro suâ fere 3-plo maiore remoti, coniunctim spatium occupant æque latum atque intervallum oculorum mediorum posticorum, qui inter se paullo longius quam ab oculis lateralibus posticis distant; spatium oculis mediis anticis et lateralibus anticis interiectum diametro sescuplo longius; oculi laterales antici a mediis posticis paullulum longius quam a mediis anticis remoti (circa 7 : 6), laterales postici a mediis posticis et a lateralibus anticis paribus fere intervallis distantes. *Pedum* anticorum femora supra aculeis 1.1.1, in latere antico 1.1, pedum II. supra 1 paullo pone medium, 2 ad apicem et 1 in latere antico pone medium, femora III. et IV. supra aculeis 1.1.1 instructa; tibiæ omnes subter aculeis 2.2.2, supra apicem versus aculeo 1, præterea in latere utroque aculeis 1—3 armatae (aculei 3 in tibiæ I. latere antico, 2 in latere antico caeterarum tiliarum et in postico tibiæ I. et IV., in latere eodem tibiæ II. et III. 1 aut 2); metatarsi omnes, præter aculeos apicales, subter aculeis 2.2 in utroque latere aculeis 1 aut 1.1 instructi. (Aculei pro parte, præsertim in pedum lateribus, parum quam pili maiores et certo parum constantes; in exemplo unico, quod vidi, desunt duo pedes anteriores sinistri.) Femur I. 1.75, patella 0.80, tibia 1.26, metatarsus 1.13, tarsus 0.65, partes eadem pedum II.: 2.69, 0.80, 1.56, 1.38, 0.73, pedum III.: 1.67, 0.73, 1.09, 1.06, 0.51, pedum IV.: 1.63, 0.65, 1.09, 1.13, 0.47 mm. longæ. *Abdomen* 2.5 mm. longum, 1.9 latum, mamillis paullo prominentibus, ovatum, in dimidio posteriore latius, antice rotundato truncatum et medio paullulum incisum et sulcatum, postice acuminatum (mamillis inclusis pæne in angulum rectum contractum). *Epigyne* parva, humefacta pallida est et ad marginem posticum vittis duabus fuscis

longitudinalibus ornatur, ea 0·15 mm. longis, coniunctim aream occupantibus antice paullulum latiore quam postice, circiter sescuplo longiorem quam medio latam, levissime foras curvatis, versus apices paullulum angustatis, ita ut intervallum earum medio leviter constrictum evadat; quibus vittis in epigyne siccata (fig. 14) foveolæ respondent paullulum breviores, latiores, antice et intus marginibus limitatae præruptis, in latere exteriori autem obtusis et diffusis; septum foveis interiectum angustius quam in epigyne humefacta videtur, pilosum, antice paullulum fortius, postice perparum dilatatum.

Cephalothorax (humefactus) pallide incarnatus, colore flavo suffusus, *limbo marginali** albedo, posterius latiore, anterius angusto et paullo inæquali; *vittis lateralibus* in universum pallide umbrinis; earum margines interiores leviter concavi, modice definiti, parum inæquales, postice latitudine areæ oculorum inter se distant, antice oculos laterales posticos attingunt, ab eis pallidiores fiunt et in angulos clypei descendunt; pallide fulvæ sunt hæ vittæ, lineolis albidis angustissimis reticulatæ, punctis adpersæ nigro-umbrinis, versus margines præsertim postice et secundum lineas radiantes binas et ad lineas albidas densius congestis, ita ut vitta utraque maculis tribus albedo-umbrinis notata videatur; *macula cephalica angulata* albida, pone oculum lateralem posticum utrumque maculâ oblongâ pallide flavido-incarnatâ ornata, parte mediâ pæne deletâ: colore pallide flavido-incarnato suffusâ et punctis umbrinis adpersa, e quibus punctis quatuor maiora, bina in ipsa maculâ, bina in eius margine postico sita, lineam leviter recurvatam designant: *macula cephalica cuneata* lineâ albidâ mediâ, inter oculos medios initium capienti, paullo ultra medium productâ, picta, ad eam utrimque lineolis binis longitudinalibus, parum expressis, albidis ornata; oculi omnes colore albedo cincti, prætera area oculorum inter seriem anteriorem et posteriorem lineâ albidâ recurvatâ ornatur, oculos laterales posticos attingenti, cum cingulis oculorum mediorum posticorum coniunctâ, inter oculos medios anticos in maculam dilatatâ; facies utrimque lineolâ albidâ ornatur ab oculo laterali antico sub oculum lateralem posticum ductâ, libratâ, inter oculos laterales et sub eis et inter oculos anticos medios et clypei angulos umbrino punctata; clypei margo albidus. Pars thoracica *vittæ mediae* ad apicem maculæ cephalicæ angulatæ maculâ parvâ pallide umbrinâ picta, utrimque lineolis radiantibus albidis ternis, quarum postremæ ramosæ et reticulatæ, ornata. *Mandibulae* colore cephalothoracis, punctis umbrinis adpersæ. *Sternum* isabellino-album; *maxillae labium palpi pedes* ochroleuca, colore fulvo paullo suffusa; palpi punctis umbrinis adpersi; pedes in apice femorum patellarum tiliarum supra anguste albedo marginati, annulis evidentioribus carent;

* Cfr.: CHYZER et KULCZYNSKI, Araneæ Hungariæ. I, pag. 109 nota.

basis patellarum, tibiaram basis in utroque latere et dorsum prope apicem in pedibus posterioribus obsolete fulvo maculata; præterea pedes punctis umbrinis adpersi in femoribus patellis tibiis, in femorum præsertim anteriorum latere antico inferiore maioribus quam cæterum. *Abdomen* supra ochroleucum, colore pallide violaceo-fulvo et pallide cinereo maculatum: *macula lanceolata* medium fere dorsum attingens, modice definita, apice subacuto, marginibus parum inæqualibus, pallide cinerea, paullo ante medium in margine utroque puncto umbrino ornata; *vitta media pallida* ochroleuca, in dorsi dimidio anteriore parum definita, in posteriore nusquam evidentius interrupta, marginibus crenatis, paullo pone medium maculæ lanceolatæ puncto umbrino ornata; *vitta dorsualis intermedia* violaceo-fulva, in dimidio posteriore solum distincta, paullo pone apicem maculæ lanceolatæ maculâ parvâ rotundatâ umbrinâ ornata, in dorsi $\frac{1}{3}$ postico utrimque serie punctorum ochroleucorum circa 5 notata et punctis his posterius divulsa; latera dorsi desuper adspecti paullo pone $\frac{2}{3}$ longitudinis utrimque arcu brevi transverso procurvo, latera abdominis obscure colorata attingenti, intus paullo dilatato, plus minusve inæquali aut interrupto, prope mamillas autem in ipso margine maculâ parvâ triangulari umbrinâ ornata, a macula hac usque ad arcum anteriorem in ipso margine anguste umbrino limbata, cæterum ochroleuca, præsertim in $\frac{2}{2}$ anterioribus colore pallide violaceo-fulvo parum expressa ita marmorata, ut formentur utrimque vittæ tres ochroleucæ obliquæ, magis retro quam foras directæ, inter se parallelæ: earum antica partem dorsi anticam lateralem occupat, a margine limbo angusto pallide violaceo-fulvo distincta, secunda a puncto umbrino maculæ lanceolatæ plus minus versus medium latus abdominis ducta; hæc vittæ obscurius marmoratæ; tertia eis brevior, melius expressa, non contaminata, marginem anteriorem maculæ umbrinæ in vittâ intermediâ sitæ cum apice interiore arcus umbrini, supra dicti, coniungit. *Latera abdominis* supra violaceo-fulva antè, umbrina posterius, maculis ochroleucis contaminata, infra pallide ochroleuca umbrino reticulata; *venter* pallide ochroleucus picturâ evidentiori caret. — *Pubes*, quæ restat in cephalothorace et in abdomine supra exempli nostri unici, nivea opaca.

39. **Tmarus Horváthi** n. sp. *Transcauc.*: Kutais, 27. V. femina adulta.

Femina oculis mediis posticis quam antici insigniter maioribus, inter se et ab eis paribus intervallis remotis, abdomine postice cuneiformi, epigynes foveâ optime definitâ, latiore quam longâ, posteriora versus leviter dilatata.

Tmaro pigro (WALCK.) ut ovum ovo similis, non differre ab eo videtur nisi epigynes formâ. Hæc (fig. 15) foveâ ornatur magnâ, trapezicâ, postice paullo latiore quam antice, lateribus omnibus leviter, angulis autem for-

titer rotundatis, circa $\frac{1}{4}$ latiore quam longâ, marginibus antico et lateralibus acutis, postico etiam bene definito, ab epigynes margine postico circiter $\frac{1}{4}$ longitudinis foveæ remoto. Fundus foveæ insigniter inæqualis: in lineâ mediâ in sulcum impressus latum concavum, antice leviter dilatatum et marginibus limitatum acutis, leviter inflexis, cum foveæ margine antico coniunctis; pars lateralis utraque in dimidio posterior insigniter profundior quam in dimidio anteriore, quod supra illud postice marginis instar cornei acuti librati, transversus, sinuati (apice exteriori anteriora versus flexo, apice interiore retro curvato) prominet; sub margine hoc foramen bursæ seminalis iacet, maiusculum, rotundatum, materiâ quadam resinaceâ repletum (in exemplo nostro unico).

Color idem atque formæ *Tmari pigri* plerumque occurrentis. *Abdominis* dorsum pallide cinereum, colore flavo paullulum suffusum, margine antico et vittâ medianâ medioeri latitudine paullo pallidioribus, umbrino punctatum præsertim versus vittam medianam, lineis tribus recurvatis (anticâ angulatâ potius) ornatum, marginem lateralem non attingentibus, medio plus minusve late interruptis, umbrinis, postice albedo limbatis, quarum antica paullo ante medium dorsum, secunda circiter in $\frac{2}{3}$ longitudinis iacet; apex tuberosus, in quod elevatum est abdomen supra mamillas, umbrino maculatus; abdominis pars postica (mamillis, tuberi dorsuali, parti abdominis latissimæ interiecta) deltoidea supra albida, inferius cinerea, hic præsertim punctis obscure coloratis adspersa, quæ in margine inferiore in vittam congesta sunt inæqualem; dorsum inter margines huius quadranguli et apices linearum recurvatarum, supra dictarum, vittâ obliquâ inæquali pallide ochroleucâ, punctis nigricantibus paucis adpersâ, ornatum. Venter albidus colore flavido-cinereo suffusus, punctis minutis nigricantibus adpersus, secundum medium vittâ ornatu pallide atropurpureâ, antice epigynen amplectenti, postice acuminata mamillas attingenti.

Cephalothorax mandibulis exclusis 1·8 mm., cum eis 2·05 mm. longus, totius corporis longitudo 5·3 mm.

40. *Xysticus Kochii* THOR. *Bessar.*: Kishineff, 19. V. mas et fem. adulta: *Transcauc.*: Kvirili, 31. V. mas adult., Delishan, 3. VI. mas ad.

41. *Xysticus cristatus* (CLERCK). *Bessar.*: Kishineff, 19. V. mas et fem. adult.; iuniores fortasse huius speciei lecti in *Bessar.*: Kobilka et in *Transcauc.*: Gelati, Kutais.

42. *Xysticus lateralis* (HÄHN). *Transcauc.*: Delishan, 8. VI. fem. adult.

43. *Xysticus acerbus* THOR. var.? *obscurior* n. *Bessar.*: Kishineff, 19. V. fem. adulta.

Forma et pictura eadem atque typici *X. acerbi*, statura paullo minor (cephalothorax 2·7, cum abdomine 6·7 mm. longus), color alius: testaceum fere non sentiens, nisi in pedum metatarsis et tarsis et in palporum partibus

patellari tibiali tarsali, ita ut partes obscuræ cephalothoracis et pedum non badiæ sed fuliginæ sint, folium dorsuale abdominis non pallide lateritium sed umbrino cinereum, punctis umbrinis maioribus minoribusque adpersum, vittâ mediâ — ut in *X. acerbo* — dentibus lateralibus exceptis, parum expressâ.

Color varietatis huius idem fere atque *X. fratris* O. HERM., epigyne tamen paullo alia (neque foveolas eas in foveæ fundo, quas in «*Araneæ Hungariæ*» delineavi, neque tubercula oblonga membranacea, quæ loco earum nonnunquam inveniuntur, ostendit).

44. *Synæma globosum* (FABR.). *Transcauc.*: Kvirili, 30. V. mas adult., Kutais, 27. V. mas adult.

45. *Diæa dorsata* (FABR.). *Transcauc.*: Delishan, pullus certo huius speciei.

46. *Heriæus Savignyi* E. SIM. *Transcauc.*: Kutais, pullus haud dubie huius speciei.

47. *Runcinia lateralis* (C. L. KOCH). *Transcauc.*: Kutais; *Armen.*: Erivan; utroque loco exempla lecta non adulta.

48. *Misumena vatia* (CLERCK). *Transcauc.*: Kvirili, ex. non adult., Tarsatshai, 8. VI. fem. adult., Delishan, 8. VI. mas adult. et pull., Kutais, pull.

49. *Misumena tricuspidata* (FABR.). *Transcauc.*: Gelati et Kutais, pulluli probabiliter huius speciei.

50. *Misumena* (?) *sp.* probabiliter nova. *Armen.*: Novo-Nikolajewka; pullus habitu *Misumenæ vatiae*, areâ oculorum insignis utrimque in tuberculum elevatâ simile fere atque in *Thomiso albo* (GMEL.), sed humiliter et obtusum.

51. *Thomisus albus* (GMELIN). *Bessar.*: Kishineff et Kobilka, pulli; *Transcauc.*: Kutais, Tiflis, Axtafa, pulli; *Armen.*: Aralich, 13. VI. mas adult.

ARGIOPIDÆ.

Epeirinae.

52. *Epeira dromedaria* (WALCK.). *Bessar.*: Kobilka, 17. V. mas et fem. adult.

53. *Epeira dalmatica* DOLESCH. *Transcauc.*: Kutais, exempla non adulta, ab exemplis in Croatia lectis nulla re distincta.

54. *Epeira diademata* (CLERCK)? *Cherson.*: Sebastopol; *Transcauc.*: Kutais; pulluli fortasse huius speciei.

55. *Epeira cucurbitina* (CLERCK). *Bessar.*: Kobilka, Teleshovo; *Transcauc.*: Kutais, Tarsatshai, Delishan; hic 8. VI. mas adult. captus, cætera exempla omnia non adulta.

56. *Epeira Victoria* THOR.? *Transcauc.*: Tiflis, exemplum non adultum.

57. *Epeira ceropegia* (WALCK.)? *Transcauc.*: Delishan, exempl. non adult.

58. *Epeira cornuta* (CLERCK). *Transcauc.*: Batum, pull.; *Armen.*: Tshubuhli, 9. VI. mas ad., Elenovka ad lacum Goktshai, iuv.

59. *Epeira adianta* (WALCK.). *Transcauc.*: Kvirili, iuv., Usuntali, 3. VI. fem. adult.

60. *Epeira acalypha* (WALCK.). *Bessar.*: Loganeshi, iuv.; *Cherson.*: Sebastopol, iuv.; *Transcauc.*: Kutais, 27. V. fem. adult.; Delishan, iuv.; Gelati, 28. V. mas adult.; *Armen.*: Erivan, 10. VI. fem. adult.

61. *Singa nitidula* C. L. KOCH. *Bessar.*: Teleshovo et Loganeshi, iuven.; *Transcauc.*: Batum, fem. adult. primo aspectu a formâ vulgari paullo diversa, a qua tamen re verâ non differt nisi ramulis vittæ mediæ pallidæ fusco-flavidis, punctis albis maximam partem carentibus.

62. *Singa* sp.? (fortasse *sanguinea* C. L. KOCH). *Bessar.*: Kobilka, iuven.

Tetragnathinae.

63. *Tetragnatha extensa* (LINNÉ)? *Transcauc.*: Batum; *Armen.*: Tshubuhli; pulluli.

Linyphiinae.

64. *Lepthyphantes tenuis* (BLACKW.). *Transcauc.*: Usuntali, 3. VI. fem. adulta.

65. *Micryphantes rurestris* C. L. KOCH. *Transcauc.*: Kvirili, 31. V. mas et fem. ad.; *Armen.*: Erivan, 10. VI. fem. adult.

66. *Erigone dentipalpis* (WIDER). *Transcauc.*: Kvirili, 31. V. mas adult.

77. *Brachycentrum odontophorum* n. sp. *Transcauc.*: Tiflis, 3. VI. mas adult.

Mas clypeo convexo, parte thoracâ pone eminentiam cephalicam non impressâ, punctis impressis in lineas radiantes dispositis ornata, laminâ tarsali prope basim in dentem acutum elevatâ.

Cephalothorax 0.73 mm. longus, 0.60 latus, desuper visus piriformis, postice late leviter emarginatus, lateribus posterius sat fortiter rotundatis, anterius longe attenuatus lateribus leviter sinuatis, antice breviter rotundatus, lævis nitidus, margines versus obsolete plicatus, sulco ordinario carens, punctis maiusculis impressis ornatus in parte thoracâ utrimque in series ternas dispositis radiantes, in dorsi partem summam libratam non productas, in laterum parte superiore solâ distinctas, inferius divisas et confusas. Pars cephalica in tuber elevata longitudine circiter

$\frac{3}{4}$ tibiaram anticarum æquans; parum longius quam latum (17 : 15), duplo circiter humilius quam altum, late ovatum, postice latius, supra sat fortiter deplanatum, infra circumcirca sulco bene definitum, latere antico fortiter declivi, postico prærupto, pæne impendenti. Pars dorsi pone tuber cephalicum sita, eo multo brevior, sublibrata, antice non impressa, imo breviter adscendens: pars dorsi postica longa, pæne recta, modice declivis. *Oculi* medii postici in tuberis cephalici parte anteriore siti, foras et paullo sursum et anteriora versus spectantes, inter se circiter duplâ suâ diametro remoti; series oculorum anticorum deorsum curvata: marginibus inferioribus mediorum parum demissius sitis quam margines superiores lateralium; oculi medii lateralibus non multo minores, inter se circiter $\frac{1}{3}$ diametri, a lateralibus pæne tota diametro remoti; oculi medii antici et postici trapezium formant parum longius quam latum postice et duplo fere longius quam latum antice (12 : 11 : 7). Clypeus sub oculis mediis dimidiam faciei altitudinem occupat, in longitudinem fortiter convexus, superius declivis, infra fortiter reclinatus est. *Mandibulae* clypeo paullo breviores. *Maxillae* valde in labium inclinatae, palpos in parte extremâ marginis antici gerunt. *Labium* breve latum. *Sternum* æque circiter latum ac longum, postice inter coxas IV. productum ibique pæne æque atque hæ coxæ latum, sursum curvatum, apice late truncato, non carinato, nitidum, punctis impressis maiusculis ornatum, margines versus magis congestis, medio læve. *Palporum* pars patellaris fere duplo longior quam lata; pars tibialis (fig. 17) subter valde brevis, supra una cum processu apicali sescuplo longior quam pars patellaris, margine apicali superiore in processum producto lamelliformem, æque circiter atque pars patellaris longum, basi cum toto fere margine dicto connatum, a basi anteriora versus et paullo sursum et intus directum, in dimidio apicali leviter ita curvatum; ut anteriora versus et paullo sursum sit directus, prope medium triplo saltem angustiolem quam longum, apicem versus leviter contortum, ita ut desuper angustior videatur quam a latere interiore, in tertia parte apicali intus oblique truncatum, summo apice obtusiusculo (fig. 16). Pars tarsalis longitudine totam partem tibialem cum $\frac{1}{3}$ partis patellaris æquat, desuper adspecta pæne ovata, apice rotundata, prope basim versus latus exterius in dentem elevata altitudine $\frac{1}{3}$ crassitudinis partis patellaris saltem æquantem, æque pæne latum, compressum, apice acutiusculum, sursum directum. Paracymbium falcatum, planum, apice obtusum. Bulbi genitalis (fig. 18) «pars basalis» ex anfractibus constat duobus, pæne transverse positus, «pars apicalis» in latere interiore trabeculam format corneam, paullo contortam, transverse positam, retro curvatam, apice obtuso (qui apex etiam in palpo desuper viso conspicitur non procul a basi partis tarsalis in latere interiore prominens), in latere exteriori spinâ (embolo) ornatur gracili nigrâ, paullo pone medium bulbum prope a latere exteriori

emergenti, leviter sigmoideâ, a basi anteriora versus et deorsum directâ, tum anteriora versus et sursum curvatâ, paullulum ultra apicem laminæ tarsalis prominenti; embolus membranâ magnâ, in transversum deorsum, in longitudinem autem sursum curvatâ, parum arcute obvolvitur. *Pedum* I. femur 0·44, patella 0·16, tibia 0·37, metatarsus 0·31, tarsus 0·29, pedum IV. partes: 0·54, 0·18, 0·49, 0·37, 0·26 mm. longæ; aculeus in tibia IV. supra situs parvus. *Abdomen* 1·17 mm. longum, 0·87 latum, pæne ellipticum, sat fortiter deplanatum, dorso scuto duriusculo crasse umbilicato-punctato tecto.

Cephalothorax umbrinus colore rufo paullulum suffusus, lineis radiantibus partis thoracicæ obscurioribus, tubere cephalico et *mandibulis* paullo pallidioribus, *sternum* fuligineum, *pedes* et *palpi* pallide flavidi, illi colore rufo, hi præsertim in parte tibiali et tarsali colore fusco suffusi; *abdominis* scutum dorsuale castaneum, latera et venter flavido-umbrina.

Brachycentrum parallelum (WID.) speciei huic valde affine est et simile, differt ab eâ præsertim tubere cephalico insigniter angustiore, processu tibiali palporum æquabiliter angustato, neque in latere interiore oblique truncato, laminâ tarsali prope basim leviter angulatâ neque in dentem elevatâ.

THERIDIIDÆ.

68. *Enoplognatha inc. spec. Armen.*: Tshubuhli, iuven.

69. *Lithyphantes Paykullianus* (WALCK.). *Transcauc.*: Gelati, 28. V. fem. adult.; unius exempli sulcus epigynes clausus est et margine postico elevato in epigyne ab imo adspectâ occultus.

70. *Asagena phalerata* (PANZ.). *Transcauc.*: Batum, iuv.

71. *Crustulina guttata* (WIDER.). *Bessar.*: Kobilka, 17. V. fem. adult.

72. *Theridium lineatum* (CLERCK.). *Transcauc.*: Tarsatshai, iuven.

73. *Theridium impressum* L. KOCH. *Bessar.*: Loganeshti, iuven.; *Transcauc.*: Kutais, pull., Usuntali, iuven., Axtafa, 7. VI. mas adult.

74. *Theridium denticulatum* (WALCK.). *Bessar.*: Peresetshina, 16. V. mas adult.

75. *Theridium tinctum* (WALCK.)? *Transcauc.*: Delishan, iuv.

76. *Theridium vittatum* C. L. KOCH. *Transcauc.*: Kvirili, exempl. non adultum, probabiliter huius speciei.

77. *Euryopsis læta* (WESTRING). *Bessar.*: Kishineff, 19. V. fem. adulta.

78. *Episinus lugubris* E. SIM. *Transcauc.*: Tifis, 3. VI. mas adult.

DRASSIDÆ.

79. *Drassodes lapidicola* (WALCK.). *Transcauc.*: Tifis, 3. VI. mas adult. et femina iuven.

80. *Prothesima apricorum* L. KOCH. *Bessar.* : Teleshovo, 16. V. fem. adult.

81. *Callilepis nocturna* (LINN.). *Transcauc.* : Delishan, 8. VI. fem. adult.

ERESIDÆ.

82. *Eresus niger* (PETAGNA). *Bessar.* : Kishineff, pullus.

DICTYNIDÆ.

83. *Titanœca Schineri* L. KOCH. *Bessar.* : Teleshovo, mas iuven.

84. *Dictyna arundinacea* (LINNÉ). *Bessar.* : Loganeshiti, 15. V. mas et fem. adult., Teleshovo, 16. V. mas adult.; *Transcauc.* : Delishan, 8. VI. fem. ad.; *Armen.* : Tshubuhli, 9. VI. mas ad.

85. *Dictyna uncinata* THOR. *Bessar.* : Teleshovo, 16. V. mas et fem. adult., Loganeshiti, 15. V. mas ad., Kishineff, 19. V. mas ad.

86. *Dictyna armata* THOR. *Transcauc.* : Gelati, 28. V. mas adult.

87. *Dictyna ignobilis* n. sp. *Armen.* : Elenovka ad lacum Goktsha, 9. VI. (*Bessar.* : Kobilka, mas iun. fortasse huius speciei).

Femina cephalothorace fusco, abdomine supra pallide fusco, picturâ nigricanti, totam longitudinem occupanti, antice e vittâ latâ constanti, ornato, pedibus flavidis obsolete fusco annulatis, mandibularum marginibus interioribus rectis, oculis posticis paribus intervallis, anticis mediis inter se longius quam a lateralibus remotis, epigyne foveis duabus, septo anguste cuneiformi disiunctis, ad marginem posticum ornata. Long. pæne 3 mm.

Cephalothorax 1·1 mm: longus, 0·9 latus, nitidus, pæne lævis (omnium subtilissime reticulatus), flavido-fuscus, marginibus nigris, lineis tenuibus fuscis parum expressis 5 in parte cephalicâ, 3-bus radiantibus in parte thoracicâ utrinque ornatus; pars cephalica pilis albis in lineas 5 congestis tecta. *Oculorum* series posterior leviter recurvata, oculi sub-æquales, paribus intervallis, quam diameter paullulum maioribus remoti; series anterior levissime procurva, oculi medii posticis mediis parum maiores, inter se circiter diametro suâ, a lateralibus spatiis quam radius maioribus remoti; area oculorum mediorum antice paullulum angustior quam postice, paullulum brevior quam lata antice; clypeus sub oculis mediis eorum diametrum altitudine paullo superans. *Mandibulae* flavido-fuscae, dorso obsolete transverse rugoso, parum nitido, humefactæ apice et prope basim solum inter se contingere, cæterum rimam angustam includere videntur, quæ rima tamen in animali desiccato conspici non potest. *Maxillae* fuscae, *sternum* et *labium* nigro-fusca, illud læve (punctis, quibus pili innati sunt, exceptis), nitidum. *Palpi* fusco-flavidi, parte tarsali pallidiore; *pedes* fusco-flavidi, obsolete fusco annulati in patellis, prope basim et in apice tibiæ, anguste in metatarsorum apice, femora

apicem versus infusca. Tibia cum patella I. 1·1, IV. 0·95 mm. longa. *Abdominis* forma vulgaris; cribellum integrum videtur; *epigyne* formâ eadem atque in *D. arundinacea* (L.) prope marginem posticum foveis ornatur duabus, antice rotundatis, margine antico et interiore acutis, in latere exteriori et postico apertis; septum, quo foveæ inter se distinguuntur, postice angustissimum, anteriora versus leviter dilatatum, a latere adspicuum postice in longitudinem arcuatum; foveæ ambæ spatium æque circiter latum occupant, atque coxæ IV. longæ sunt, et duplo saltem latius quam longum. *Abdominis* dorsum (fig. 19) pallide fuscum, desuper visum anguste fusco-nigro limbatum et colore nigro-fusco secundum medium pictum: antice vitta iacet æque fere atque oculorum area lata, medium dorsum fere attingens, antice leviter angustata, in dimidio posteriore modice constricta; dimidium posterius angulis pictum quatuor, gradatim tenuioribus, melius distinctis, et pone eos fortasse duobus parum perspicuis; angulus anticus, apice cum parte postrema vittæ anticæ coniunctus, angulum pallide fuscum continet, utrimque foras et anteriora versus infractus et cum limbo laterali fusco plus minusve coniunctus est; apex anguli 2-di uterque lateralis rotundatus; *abdominis* latera nigro-fusca, obsolete et parce pallide fusco maculata, præsertim postice; venter parum pallidior, in latere utroque vittâ longitudinali pallide fuscâ notatus. Mamillæ nigro-fuscæ. (*Abdominis* pubes maximam partem detrita.)

88. *Dictyna annulata* n. sp. *Bessar.*: Teleshovo, 16. V. fem. adulta.

Femina cephalothorace nigro nitido, abdomine supra fusco-cinereo, picturâ ornato nigricanti totam longitudinem occupanti, antice e vittâ longitudinali mediocri latitudine, postice profunde incisâ, constanti, pedibus flavidis fusco annulatis, mandibularum marginibus interioribus rectis, oculis mediis et anticis et posticis inter se longius quam a lateralibus remotis, epigyne foveis duabus a margine postico longe distantibus ornatâ. Long. ca 2·6 mm.

Cephalothorax circa 0·9 mm. longus, lævis, nitidus, niger, parte cephalicâ supra paullulum pallidiore. *Oculorum* series posterior paullulum recurva, oculi subaequales, medii a lateralibus diametro suâ, inter se paullo longius remoti; series anterior leviter procurva, oculi medii paullulum maiores videntur quam medii postici, inter se diametro suâ et duplo fere longius quam a lateralibus distant; *oculorum* mediorum area antice paullulum augustior quam postice et æque fere lata atque longa; clypeus sub oculis mediis eorum diametro sescuplo fere altior. *Mandibularum* humefactarum margines interiores prope basim et apice inter se contingere, caeterum rimam augustam formare, siccatarum secundum totam longitudinem (summâ basi exceptâ) inter se contingere videntur; earum color umbrino-niger, apicem versus umbrinus; *maxillae* et *labium* umbrino-nigra, apice pallidiora; *sternum* umbrino-nigrum, medio paullulum palli-

dus; *palpi* fusco-flavidi; *pedes* fusco-flavidi, annulis fuscis diffusis ornati: latis pone basim femorum et tibiaram, angustioribus in illorum et harum apice; patellae anteriores fere totae, basi exceptâ, posteriores praesertim in lateribus infuscatae; metatarsi apice anguste infuscati, anteriores etiam pone basim vestigio annuli parum expressi ornati. Tibia cum patella pedum I. 0.88, pedum IV. 0.75 mm. longa. *Abdominis* forma ordinaria; cribellum integrum; *epigynes* (fig. 21) margo posticus niger transverse plicatus, caetera area pallidior, fusca, foveolis ornata duabus paene ovatis, antice latioribus, inter se ne dimidiâ latitudine suâ quidem distantibus, ab epigynes margine postico spatio remotis parum brevioribus, quam sunt coxae IV. longae, et aequae circiter longo, atque spatium latum est, quod ab eis ambabus occupatur. Dorsum abdominis (fig. 20) umbrino-cinereum (cinereum, pallide umbrino reticulatum), colore nigro-fusco pictum: antice vittâ ornatum inaequali, circiter aequae latâ atque tibia cum patella III. longa est, antice leviter angustatâ, in dimidio posteriore primo angustatâ, tum leviter dilatatâ et in ramos tres divisâ, quorum medius crassior est quam laterales retro et paullo foras directi; haec vitta circiter $\frac{2}{5}$ longitudinis occupat; eius ramulus apicalis medius cum angulo coniungitur paene recto, paullo quam ipsa latiore; sequuntur, in dimidio posteriore dorsi, anguli similes circiter 7, quorum anteriores quatuor saltem alternantes crassiores et tenuiores, lineâ medianâ tenuissimâ coniuncti; apices laterales angulorum sex anteriorum dilatati et inter se confusi maculas formant utriusque ternas irregulares, quae in vittas coniunguntur longitudinales duas parallelas, valde inaequales, coniunctim spatium paullo latius quam vitta antica occupantes; quae vittae in abdomine desuper ad aspectum apicem eius attingunt. Latera abdominis fusca, margine superiore inaequali, parce fusco-cinereo punctata; ventris partes laterales fusco-cinerae, pars media cum mamillis fusca. (Exemplum unicum, quod vidi, detritum est; pubes, quae restat passim, alba in parte cephalicâ supra, in clypes, in ventris partibus pallide coloratis, fusco cinerea in partibus obscuris).

Dictyna ignobilis et *D. annulata* a plerisque aliis *Dictynis* differunt pedibus annulatis. Inter *Dictynas* pedibus annulatis ad hoc tempus subtilius descriptas *Dictynae ignobili* *D. pygmaea* THOR.,*, *D. annulatae* *D. mitis* THOR.** praesertim similes videntur; ambarum mares soli noti sunt; *D. pygmaea* multominor describitur quam *D. ignobilis*, oculis mediis anticis inter se insigniter magis approximatis caet.; *D. mitis* oculorum situ imprimis differre videtur a *D. annulata* nostra, ex. gr. oculis anticis lateralibus longius a mediis, quam hi inter se, distantibus.

* T. THORELL, Descript. of several European a. North-african Spiders. 1875.

** Ibid.

89. *Dictyna orientalis* n. sp. Armen: Erivan. 10. VI. fem. adult., Aralich, 13. VI. fem. adult.

Femina cephalothorace flavido, vittis duabus latis fuscis et limbo albo-flavo ornato, abdomine supra flavido-albo, picturâ fuscâ aut nigrâ, non parum varianti, marginem anticum non attingenti ornato. Long. ca. 2.5 mm.

Cephalothorax 0.85 mm. longus, parte cephalicâ modice convexâ pube albida tectâ, caeterum laevis, nitidus. *Oculorum* series posterior modice recurvata, oculis subaequalibus, mediis inter se parum longius quam diametro, a lateralibus circiter sescuplâ diametro remotis, series anterior paene recta, oculi medii lateralibus et posticis mediis minores, a lateralibus circiter diametro suâ, inter se paullo longius remoti; area oculorum mediorum paullulum latior postice quam antice, aequae longa atque antice lata. Clypeus sub oculis lateralibus eorum diametrum altitudine parum superat. *Mandibulae* paullo breviores quam ambae simul sumptae latae sunt, directae, apicem versus paullo angustatae et marginibus interioribus paullulum a se discedentibus, apice parum oblique truncatae, in angulo interiore denticulis 3-bus (?) armatae, dorso obsolete transverse plicato. *Tibia* cum patella I. 0.78, IV.: 0.73 mm. longa. *Abdominis* forma ordinaria; *cribellum* bipartitum; *epigyne* foveolis duabus ornatur oblongis ovatis, postice angustioribus, coniunctim spatium duplo fere augustius quam *cribellum* occupantibus, margine exteriori acuto fortius quam interior elevato, inter se septo piloso parum lato disiunctis, ab *epigynes* margine postico circiter longitudine suâ remotis.

Color corporis humefacti modo non modo sat fortiter rufo suffusus. In exemplis colore rufo non suffusis: *cephalothorax* pallide flavus, lateribus partis thoracicae limbo flavido-albo, quam tibiae pedum paullo angustiore ornatis, vittis duabus umbrinis ornatus, longitudinalibus, latis, marginem posticum et antice in partis cephalicae lateribus oculos laterales posticos fere attingentibus, quae vittae in cephalothorace desuper adspecto antice latitudine totius areae oculorum inter se distant, posteriora versus intus paullulum inter se appropinquant, in parte thoracica a margine limbo commemorato solo distiguuntur. *Mandibulae maxillae labium palpi pedes* pallide flava, *sternum* fusco-flavum, in lateribus et postice fusco marginatum. *Abdominis* dorsum (fig. 23) et latera alba, colore luteo paullulum suffusa, fusco subtiliter reliculata, dorsum colore fusco aut nigro maculatum: circiter in $\frac{1}{5}$ longitudinis puncta duo conspiciuntur, circiter tibiarum crassitudine inter se distantia, modice expressa; prope ea initium capit area e maculis constans, in universum elongato ovata, dimidiam latitudinem abdominis paullo superans, usque ad mamillas producta; partem eius anticam angulus format paene rectus, apice anteriora versus directo, lineolam longitudinalem, cum apice suo coniunctam, parum quam crura sua brevior, includens; sequuntur anguli lati circa 5, quorum 3

anteriores modo bene expressi, primus antico et sequentibus latior et crassior, cruribus leviter procurvis, sequentes gradatim minores, primus angulum similem atque est ipse, minorem, albidum, fusco reticulatum, continet, secundus et tertius similem in modum sed minus distincte maculati; tota haec area lineâ tenui fuscâ modice expressa dimidiata. Pictura haec insigniter variat (fig. 22): angulus anticus apice deleto nonnunquam in maculam unam confusus basi late coniunctam cum angulo sequenti, qui crassus est, apicibus lateralibus rotundatis, totus niger ut etiam angulus pone eum situs; anguli posteriores apicibus lateralibus in maculas rotundatas dilatatis, medio angustati aut interrupti. — Laterum pars superior vittâ ornatur fusca aut nigricanti, sat latâ, diffusâ, in dimidio posteriore plus minusve in maculas magnas divulsâ. Venter lateribus ut abdominis latera coloratis, secundum medium cinereo-fuscus, qui color aream aequae fere latam occupat, atque area mamillarum; hae flavido-fuscae, in lateribus et subter annulo inaequali nigro-fusco, utrimque in maculas ternas dilatato, circumdatae. — Abdominis desiccati, in partibus pallidis pube albâ, in obscuris pube fuscâ tecti, pictura satis similis atque humefacti; venter totus pube albidâ tectus videtur.

Dictyna orientalis imprimis *D. hortensi* E. Sim* similis videtur, differt tamen ab eâ probabiliter colore saltem (ex. gr. *D. hortensis* pars thoracica — excepto limbo laterali — tota fusca, abdomen supra antice lineis obscuris duabus parallelis postice foras curvatis ornatum, sternum pallide flavum describitur).

DYSDERIDAE.

90. *Dysdera* sp. *Transcauc.*: Tiflis, mas adultus probabiliter novae speciei, adeo laesus, ut descriptione dignus non sit.

91. *Harpactes Caucasius* n. sp. *Transcauc.*: Gelati, 28. V. mas adult.

Mas oculis anticis a clypei margine circiter radio suo remotis, sterno regulariter reticulato, palporum parte tibiali longiore quam patellaris, bulbi genitalis corpore parum longiori quam lato, circiter in $\frac{2}{3}$ longitudinis latissimo, scapo parvo, femoribus anticis prope apicem aculeis 3 armatis. Long. 4.4 mm.

Mas. Cephalothorax 2 mm. longus, 1.6 latus, fere in $\frac{5}{9}$ longitudinis latissimus, lateribus fortiter rotundatis, antice sinuato-angustatus, fronte circa 0.7 mm. latâ; fere in $\frac{2}{3}$ longitudinis sulcus ordinarius iacet, valde brevis, sed posteriora versus in lineam impressam, parum definitam et valde vadosam productus, cum quâ circiter $\frac{1}{4}$ patellarum I. longitudine aequat. Dorsum a latere visum fere a margine antico coxarum III. poste-

* E. SIMON, Aranéides nouveaux ou peu connus du Midi de l' Europe. (1. Mémoire.)

riora versus sat praeurpente descendit, caeterum inaequaliter (oculos versus fortius) arcuatum; totus fere cephalothorax dense impresso-reticulatus, parte cephalicâ solâ versus oculos paene laevi et nitidâ, caeterum subopacus; maculae reticuli — praesertim in cephalothoracis partibus lateralibus et posticâ — marginibus paullulum elevatis areolas formant maximam partem oblongas; ad marginem cephalothorax carinulâ acutâ ornat, limbum distinguenti medioeri latitudine, inflexum, ita ut a latere paene non conspiciatur; etiam clypeus carinulâ simili instructus, limbum desecanti corneum, non inflexum. *Oculi* postici oblongi, inter se fere contingentes, lateralibus, qui rotundati sunt, paullo minores (sed non breviores), ab eis paullulum magis quam inter se remoti, cum eis lineam modice procurvam designant; oculi antici rotundi, caeteris maiores, cum lateralibus paene contingentes, a posticis circiter radio, inter se parum plus quam $\frac{1}{3}$ diametri, a clypei margine paullo longius quam radio remoti. *Mandibulae* aequae circiter longae atque $\frac{2}{5}$ cephalothoracis, paullulum proiectae, quoad margines exteriores inter se parallelae, a latere visae prope basim paullo convexae, caeterum usque ad apicem rectae; apice intus oblique truncatae et leviter emarginatae, in angulo ornatae in sulci unguicularis margine antico, dentibus duobus approximatis, primo quam secundus paullo maiore in margine postico autem denticulis duobus apici propius sitis, secundo quam primus maiore; dorsum mandibularum praesertim versus latus exterius granulis dispersis ornat. *Maxillarum* et *labii* forma ordinaria. *Sternum* paene $\frac{1}{3}$ longius quam latum, dense elevato-reticulatum, modice nitidum, prope coxas laevigatum et granulis dispersis parvis ornat, caeterum areolis parvis laevibus nitidis adpersum, quarum unaquaeque punctum includit impressum. *Palporum* pars patellaris duplo longior quam medio crassa, subter (basi solâ exceptâ) recta, supra leviter et paene aequaliter in longitudinem convexa; pars tibialis eâ circiter tertia parte longior, paullulum minus crassa, subter paene recta, supra levius quam patellaris convexa; pars tarsalis patellari longior, tibiali brevior, a latere visa supra paene aequaliter convexa, subter gibbosa: circiter in $\frac{1}{3}$ longitudinis paullulum crassior quam pars patellaris medio, inde basim versus subito, apicem versus levius attenuata. Bulbus genitalis (fig. 24) prope medium parti tarsali innatus, eius corpus aequae atque pars hæc longum, paullo minus latum quam longum, leviter compressum, a latere visum antice — ubi multo fortius convexum est quam postice — circiter in $\frac{2}{3}$, postice circiter in $\frac{3}{4}$ longitudinis latissimum, a basi usque ad partem latissimam pæne aequaliter (antice leviter arcuato-, postice paullulum excavato) dilatatum, inde apicem versus subito, arcuato angustatum. Scapus (fig. 25) parvus, membranâ complicatâ et contortâ instructus et aculeo complanato, in latere antico exteriore innato, in latus posticum curvato, hic deorsum deflexo et leviter sinuato; partes hæc a variis adspectæ partibus varium

præbent aspectum, ex. gr. a latere inferiore adspectus bulbus apice tuberculo ornatur latiore quam longo, apice late truncato, ex angulo apicali postico processus duos emittenti breves, anteriorem deorsum et anteriora versus directum, posteriorem primo deorsum et retro directum, tum anteriora versus, curvato et priori parallelo; postice ad basim tuberculi aculeus emergit gracilis, deorsum et retro directus, anteriora versus arcuatus et priorum apicibus parallelus; apices horum processuum trium lineam designant pæne rectam et libratam. *Pedum* omnium femora aculeata, aculei in femoribus I. et II. antice versus apicem 1·2, in III. circa 5, in IV. circa 7; cæteræ partes pedum anteriorum inermes; patellæ III. aculeo 1 instructæ, IV. inermes; tibæ et metatarsi pedum posteriorum abunde aculeata, tarsi inermes aculei in tibiis IV. dorso probabiliter 3; tarsi omnes unguiculis ternis instructi. Femur I. 1·9, patella 1·1, tibia 1·7, metatarsus 1·5, tarsus 0·5, pedum II. partes: 1·7, 0·95, 1·4, 1·2, 0·45, pedum III.: 1·3, 0·6, 0·9, 1·15, 0·48, pedum IV.: 1·9, 0·8, 1·5, 1·7, 0·6 mm. longæ. *Abdomen* (mamillis exclusis) 2·1 mm. longum, 1·2 latum, elongato ovatum, postice latius.

Cephalothorax cum *mandibulis* badius, *sterum maxillae labium* lateritia, *palpi* et *pedes* testacei, hi paullo colore fusco suffusi præsertim in femoribus et tibiis anterioribus, *abdomen* flavido-cinereum.

TABULÆ I. EXPLICATIO.

1. *Heliophanus forcipifer*, palpus sinister.
2. *Heliophanus nigriceps*, pars tibialis et tarsalis palpi sinistri ab imo visæ.
- 2b. Eadem a latere inferiore visæ.
3. *Attus vilis*, pars patellaris tibialis tarsalis palpi sinistri.
4. Eiusdem epigyne.
5. *Yllenus albocinctus* (Kroneb.), epigyne humefacta.
6. *Tarentula taeniopus*, lamella characteristica palpi dextri, *m*: margo «partis basalis» bulbi genitalis.
7. *Tarentula striatipes* (Dol.), lamella characteristica palpi dextri.
8. *Tarentula striata*, lamella characteristica palpi dextri.
9. *Tarentula taeniopus*, pars posterior epigynes, amplific.: 38.
10. *Tarentula striatipes*, pars posterior epigynes, amplific.: 38.
11. Eadem alius exempli, amplific.: 38.
12. *Tarentula striata*, pars posterior epigynes, amplific.: 38.
13. *Thanatus imbecillus* L. Кочн, epigyne.
14. *Philodromus iuvenicus*, epigyne, amplificat.: 50.
15. *Tmarus Horváthi*, epigyne.
16. *Brachycentrum odontophorum*, pars tibialis et tarsalis palpi sinistri desuper visæ.

17. Eaedem a latere exteriore visæ.
 18. Eiusdem pars tarsalis sinistra ab imo adspecta.
 19. *Dictyna ignobilis*, pictura abdominis.
 20. *Dictyna annulata*, pictura abdominis.
 21. Eiusdem epigyne.
 22. *Dictyna orientalis*, pictura abdominis.
 23. Eadem alius exempli.
 24. *Harpactes caucasius*, pars tarsalis palpi sinistri.
 25. Eiusdem scapus ab imo visus.
-

SPECIES GENERIS PIONOSOMUS FIEB.

Disposuit DR. G. HORVÁTH Budapestinensis.

Genus *Pionosomus* FIEB. familiæ Lygæidarum species simillimas et ægre distinguendas in se continet. Quamobrem tabulam synopticam specierum generis huius conscribendam esse censui.

Omnes species sunt parvæ, nigræ, punctatæ, setosæ, nitidulæ vel interdum subopacæ. Antennæ articulis basali et apicali nigris, nigro-fuscis vel fuscis, articulis duobus intermediis testaceis, basi et apice magis minusve infuscatis, raro (*heterotrichus*) antennæ totæ pallidæ. Pronotum lobo postico opaco maculis duabus transversis pallidis, plus minusve confluentibus, nigro-vel fusco-punctatis notatum, maculis his pallidis raro (*monochrous*) deficientibus. Scutellum opacum, apice imo pallidum. Hemelytra sæpissimè griseo-testacea, nigro-punctata, opaca, maculis corii tribus, prima obsoleta prope basin, secunda costali pone medium tertiatque ad apicem, nigris vel nigricantibus; membrana rite explicata vel plus minusve abbreviata, nigra, albido-limbata, vel albida, macula discoidali nigro-fusca notata. Limbus anticus prostethii, limbus posticus metastethii, maculæ pectoris ad coxas, femora apice imo, tibiæ et tarsi testacei; interdum femora omnia fusca (*fuscipes*) vel pedes toti flavo-testacei (*heterotrichus*).

Species septem huius generis ex autopsia, speciem octavam Sibiria propriam (*monochroum*) solum secundum descriptionem nosco. Quum autem species hæc sibirica lobo postico pronoti omnino unicolore a reliquis facile distinguenda videtur, in subsequente tabula synoptica species omnes disposui.

1 (2). Lobo antico pronoti nigro, unicolore. Corpore superne setis erectis nigro-fuscis vestito; pronoto transverso, huius lobo antico sicut etiam capite cupreo-nitentibus; antennis pedibusque nigris, illarum articulis secundo et tertio tibiisque fusco-ferrugineis. Long. 2 mill. — *Sibiria orientalis*: Irkutsk. (Sec. Dom. JAKOWLEFF.) 1. *monochrous* Jak.

2 (1). Lobo postico pronoti maculis duabus transversis, plus minusve confluentibus, pallidis notato, interdum fere toto pallido.

3 (14). Corpore superne setis erectis nigris vel nigro-fuscis obsito; pronoto antrorsum vix vel levissime angustato, lateribus pone medium haud vel levissime sinuatis; hemelytris griseo-testaceis vel fusco-testaceis; articulis basali et apicali antennarum femoribusque nigris vel fuscis.

4(5). Lobo antico pronoti subopaco, nigro-setoso et præterea pube adpressa griseo-albida dense vestito. Breviter setosus, setis marginum lateralium pronoti diametro oculorum minus quam duplo longioribus; pronoto distincte transverso, basi fere duplo latiore quam longiore, lobo antico ubique densissime et subtilissime punctulato; membrana rite explicata, apicem abdominis subsuperante, vel nonnihil abbreviata, pone apicem segmenti dorsalis penultimi abdominis extensa, sed apicem abdominis haud attingente; femoribus nigris, apice imo pallidis. ♂. ♀. Long. $2\frac{1}{2}$ —3 mill. — *Hungaria centralis* (in desertis arenosis sat frequens!); *Rossia meridionalis*: Sarepta (Purton). --- --- --- --- --- **2. opacellus n. sp.**

5(4). Lobo antico pronoti fortiter nitente, pubescentia griseo-albida omnino destituito.

6(7). Pronoto distincte transverso, basi fere duplo latiore quam longiore; articulis basali et apicali antennarum nigris; membrana formæ brachypteræ minus abbreviata, pone apicem segmenti dorsalis quinti abdominis extensa. Breviter nigro-setosus, setis marginum lateralium pronoti diametro oculorum minus quam duplo longioribus; lobo antico pronoti disco vage subtiliusque punctulato, fere lævigato; femoribus nigris, tantum apice imo pallidis. ♂. ♀. Long. $2\frac{3}{4}$ — $3\frac{1}{4}$ mill. — *Hispania, Gallia, Helvetia, Germania, Dania, Suecia, Britannia*. --- --- **3. varius Wolff.**

7(6). Pronoto vix transverso, basi circiter dimidio latiore quam longiore; articulis primo et quarto antennarum nigro-fuscis vel fuscis.

8(9). Pronoto antrorsum levissime angustato, apice quam basi angustiore, lobo antico disco vage et subtilius punctulato; membrana completa. Breviter setosus, setis marginum lateralium pronoti diametro oculorum minus quam duplo longioribus; capite loboque antico pronoti convexis, nigro-nitentibus; antennis longioribus et gracilioribus, articulis basali et apicali nigro-fuscis; lateribus pronoti fere rectis, tantum apice ipso subito rotundatis, maculis duabus pallidis lobi postici confluentibus; femoribus nigris, apice imo pallidis. ♀. Long. 3 mill. — *Turkestan*: Margelan!

4. persimilis n. sp.

9(8). Pronoto fere subquadrato, apice quam basi vix angustiore, lobo antico ubique æqualiter punctulato; membrana semper abbreviata, parviuscula, semicirculari, angulum apicalem corii et segmentum dorsale quartum abdominis paullo superante.

10(13). Articulis primo et quarto antennarum nigro-fuscis; femoribus nigris, apice vel etiam basi pallidis; maculis duabus transversis pallidis lobi postici pronoti obsoletis, parvis.

11(12). Longius nigro-setosus, setis marginum lateralium pronoti diametro oculorum plus quam duplo longioribus; capite loboque antico pronoti convexis; huius marginibus lateralibus pone medium levissime sinuatis, ante medium levissime rotundatis, lobo antico sat dense et di-

stincte punctulato, nigro-nitente; hemelytris sordide fusco-testaceis; membrana nigro-fusca, prope angulum basalem externum macula albida signata; femoribus basi et apice pallidis. ♂. ♀. Long. $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ mill. — *Suecia*: Oeland! (THOMSON). --- --- --- --- **5. trichopterus** Thoms.

12 (11). Breviter nigro-setosus, setis marginum lateralium pronoti diametro oculorum minus quam duplo longioribus; capite lato, planiusculo; marginibus lateralibus pronoti fere rectis, tantum apice ipso subito rotundatis, lobo antico depresso, vix convexo, densissime et subtilissime punctulato, nonnihil cupreo-nitente; hemelytris griseo-testaceis; membrana albida, macula discoidali nigro-fusca notata; femoribus tantum apice imo pallidis. ♂. ♀. Long. $2\frac{1}{2}$ mill. — *Italia*: Vercelli! (REUTER).

6. depressus n. sp.

13 (10). Articulis basali et apicali antennarum femoribusque fuscis, his basi et apice pallidis; lobo postico pronoti fere toto pallido, tantum utrinque ad latera nigricante. Longius nigrofusco-setosus, setis marginum lateralium pronoti diametro oculorum plus quam duplo longioribus; pronoto lateribus subrectis, tantum apice ipso subito rotundatis, lobo antico planiusculo, sat dense et distincte punctulato, nigro-nitente; hemelytris griseo-testaceis, membrana albida, disco nigro-fusca. ♀. Long. $2\frac{1}{2}$ mill. — *Tauria*: Koktebel! --- --- --- --- **7. fuscipes** n. sp.*

14 (3). Corpore superne setis erectis flavo-ferrugineis vestito; pronoto fere æquilongo ac basi lato, trapezoideo, antrorsum sensim angustato, lateribus pone medium leviter sinuatis; hemelytris flavo-ferrugineis; antennis pedibusque totis flavo-testaceis. Longius setosus, setis marginum lateralium pronoti diametro oculorum plus quam duplo longioribus; capite et lobo antico convexo pronoti dense minutissimeque punctulatis, huius lobo postico flavo-ferrugineo, tantum utrinque ad latera nigro-fusco; membrana completa, apicem abdominis subsuperante. ♀. Long. $3\frac{1}{4}$ mill. — *Tauria*: Sudak! --- --- --- --- **8. heterotrichus** Horv.

*) Speciem hanc olim (Természetráji Füzetek. 1884. p. 12) tamquam formam brachypteram *P. heterotrichi* descripsi, a quo autem setis corporis nigro-fuscis, lobo antico pronoti minus dense et paullo fortius punctulato coloreque antennarum, hemelytrorum et pedum bene differt.

DESCRIPTIONES SPECIERUM NOVARUM ICHNEUMONIDARUM E FAUNA HUNGARICA.

Auctore S. BRAUNS, Professore Suerinensi.

1. *Ophion dispar* mihi.

O. luteo colore affinis, sed duplo minor. Alæ superiores nervulo ante-furcali, inferiores nervello supra medium fracto, præcique metathoracis sculptura discedens. Costa nempe transversa basali fere deleta, medio arcu semicirculari aream superomediam postice apertam inchoante, costa transversa posteriore distincta; spatio intracostali subtilius rugulosopunctato, area posteromedia medio longitudinaliter rugulosa. Abdomine apice nonnihil obscuriore. — ♂; long. 10—11 mm.

Hungaria septentrionalis (Eperjes). ♀. in *Helvetia* (Wallis) inventam in collectione mea conservo.

2. *Anomalon trachynotus* mihi. (subgenus *Atrometus* Först.)

Capite pone oculos dilatato, nigro; temporibus rufofulvis nitidis, vix punctatis; genis nitidis, nigris; facie inferne valde angustata, rugosopunctata, clypeo mucronato, mandibulis fulvis, apice nigris; antennis fusco-ferrugineis, basi nigris, subtus apice dilutioribus. Thorace scabro, nigro, prothoracis maculis, mesothoracis lobis lateralibus rubris, notaulis nullis; scutelli scabri lateribus rubricosis; metathorace fortiter reticulato, dorso vix canaliculato, apice longius caudato; epicnemiis superne abbreviatis, mesopleuris fortiter rugososcabris, striis longitudinalibus distinctis ante speculum minus perspicuum. Tegulis rufis; alæ superiores stigmatate fusco; nervis recurrentibus valde distantibus, nervo parallelo fere incidente; alæ posteriores nervello non fracto. Abdomen fere totum nigrum, segmenti 2 lateribus ferrugineis, tertio rufo; terebra sat longa. Pedes anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis intermediis infuscatis. Postici nigri, femoribus clavatis, tarsis ferrugineis. — ♀; long. circa 12. mm.

Budapest, e Zygaena laeta exclusum.

♂. *Feminae* similis. Facie cum clypeo et mandibulis, genis, temporibus totis flavis, his rufescentibus, flavedine faciei longe supra artenas producta; antennis rufis, scapo subtus flavo, supra infuscato. Thorace fere toto nigro, sutura ante alas et scutelli lateribus rubricosis. Abdomine nigro, segmentis 2. 3. 4. rufis, 2 vitta nigra. Pedibus rufis, anticis cum coxis flavescentibus; coxis posticis nigris, apice flavidis, trochanteribus nonnihil

obscurioribus, femoribus clavatis, tibiis curvatis; tarsis latissimis; tibiaram latitudine æqualibus, metatarso articulis 2 sequentibus simul sumptis fere æquali, articulo 4 minimo, ultimo vix longiore.

Pariter e regione *Budapestinensi*.

Ich bin nicht sicher, ob dieses Männchen zu dem vorherigen ♀ gehört, will es aber trotz der Abweichungen in der Färbung vorläufig dazurechnen. Es gehört sicherlich in dieselbe Gruppe. Ich besitze einige sehr ähnliche ♂♂ aus Dalmatien und aus Batum, die noch viel buntere Farben haben, als das ♀; leider fehlen dazu die Weibchen.

Vorläufig können beide Thiere zu dem Försterschen subgenus *Atrometus* gezählt werden.

Barycephalus mihi, novum genus *Ophionidum*.

Caput majusculum, tumidum, fere cubicum, pone oculos pro capite minutos non angustatum, interdum dilatatum. Clypeus vix discretus, foveolis basalibus distinctis, apice late rotundatus; vertice, temporibus genis latissimis, his longis. Mandibulæ sat validæ, dente infero vix longiore. Oculi parvi, juxta basin mandibularum leviter emarginati, ab ocellis valde distantes. Costa occiput et genas determinante distincta. Antennæ corpore breviores. Thorax notaulis epomiisque nullis, mesothorace nitido, scutelli apice rotundati, convexi lateribus basi tantum marginatis; metathorace costis et areis nullis, spiraculis ovalibus. Epicnemii distinctis, superne abbreviatis; sternaulis nullis, mesolco tenui postice clauso. Alæ breves, superiores areola nulla, cellula discocubitali nervos 2 recurrentes excipientes; stigmatibus angusto, radium ante medium emittente, nervo cubitali cum basali obliquo basi vix convergente, leniter curvato, ramello nullo; nervulo interstitiali obliquo, nervo parallelo longe supra medium e cellula brachiali egrediente, hac postice angustata. Alæ inferiores nervello supra medium vix fracto, nervum pellucidum emittente, valde obliquo, postfurcali. Abdomen sat longe petiolatum, a segmento 3 compressum, petiolo leniter curvato sensim in postpetiolum continuato, spiraculis in triente apicali sitis. Segmento 2 latitudine fere triplo longiore, thyridiis vix conspicuis, tertio vix brevioribus, sequentibus longitudine sensim minore, terebra breviter exserta (ut in *Ophionibus*). Ungviculis pectinatis.

3. Barycephalus Mocsáryi mihi. ♂.

Rufoflavus, oculis minutis, stemmatio, vittis 3 longitudinalibus mesonoti, basi mesothoracis, segmentis 2 primis abdominis fere totis, maculisque abdominis 14 triseriatim dispositis, punctis 2 mesosterni juxta epicnemiam sitis nigris. — Caput rufoflavum, subtilissime punctatum, pone oculos evidenter dilatatum, vertice temporibus genis latissimis, his spatium fere oculorum longitudini æquali a mandibularum basi distantibus; puncto minuto intraantennali nigro, colore nigro stemmatis usque ad basin antennarum continuato, sulcum sat latum includente. Mesothorace nitido subti-

liter sparsim punctato, vittis 3 nigris, regione circa scutellum et basin alarum concolore, mesopleuris et basi nigra metathoracis paulo fortius punctatis, minus nitidis. Thoracis colore subtus magis in colorem flavum mutato. Abdominis compressi segmentis 2 primis nigris, apice cum ceteris rufoflavis, tertii lateribus maculis 2 nigris, sequentibus usque ad segmentum 6. 3 maculatis, maculis marginem posticum segmentorum cum basi sequentis obtegentibus; segmentis ultimis flavorufis. Pedibus rufoflavis, anterioribus basi dilutioribus, tibiis posticis apice vix, tarsis posticis evidenter infuscat. — ♂; long. 11—12 mm.

Hungaria centralis (Budapest) et *meridionalis* (Ulma).

Celeberrimo Hymenopterologo A. Mocsáry hanc speciem dedicare ejusque nomine condecorare volui.

4. *Barycephalus seminiger* mihi. ♀.

Niger, capite fere toto, mesothorace superne, scutello, segmentis 3 et 4 abdominis aurantiacis. Caput tumidum, aurantiacum, nitidum, genis, temporibus latis evidentius punctatis, oculis et antennis nigris, facie fortiter punctata, fronte fere opaca, apice mandibularum nigra, colore nigro stemmatii usque ad basin antennarum continuato, sulculo nullo, vertice sat lato, sed pone oculos non dilatato. Thorace nigro, scutello et mesothorace supra aurantiaco, hoc vittis 3 nigris; mesothorace nitido sparsim punctulato, metathorace fortiter, basi minus punctato, apice rugoso, areis et costis nullis, dimidio postico carinula media. Mesopleuris fortiter punctatis, macula oblonga aurantiaca subtegulari. Alæ breves, tegulis et radice aurantiacis, stigmatate fusco, nervorum dispositione ut in præcedente. Abdomen nigrum, segmento 3 aurantiaco, maculis 2 lateralibus et apice medio nigris, 4 aurantiaco basi trimaculato, apice infuscato; terebra rufa. Pedibus anticis rufis, coxis et trochanteribus nigris, posterioribus nigris, calcaribus et articulationibus dilutioribus. — ♀; long. 12 mm.

Hungaria centralis (Budapest).

Ob die beiden hier beschriebenen Thiere als ♂ u. ♀ zusammengehören, ist zweifelhaft; es wäre immerhin möglich.

5. *Anomalon humerale* mihi (subgenus *Barylypa*, cf. Thomson *Opuscula*, fascic. 16. pag. 1766.)

Caput pone oculos vix dilatatum, nigrum, mandibulis flavis, apice nigris, facie cum clypeo rotundato sat fortiter punctatis, opacis, genis vix flavis, flavedine faciei pone antennis producta, fronte rugosa, linea elevata; temporibus nitidioribus minus dense punctatis, macula magna piceorufa. Antennæ dimidium corporis superantes, rufobrunneæ, scapo subtus flavo. Thorace nigro, macula humerali ochracea, callis ante et infra tegulas pallidas concoloribus, suturis et maculis prothoracis et ante coxas intermedias pallidis. Scutello flavo, convexo, basi tantum marginato, punctato, sulculo

medio impresso; prothoracis lateribus fortiter punctatis, subtus rugosis; mesothorace nitido, punctura subtiliore; mesopleuris fortiter punctatis speculo polito, mesosterno subtilius dense punctato, mesoleo sat profundo, postice clauso, metathorace longius caudato, fortiter reticulatorugoso, dorso evidenter canaliculato. Alæ hyalinæ, tegulis et radice flavis, stigmatе pallido, anteriores nervo parallelo supero nervo areolari interstitiali, posteriores nervello fere opposito, infra medium fracto. Abdomen rufum, segmento primo basi vix, 2 vitta dorsali, 4 apice, 5—7 nigris. Pedibus anterioribus ad maximam partem flavis, femoribus postice rufescentibus, coxis basi obscurioribus; posticis coxis et trochanteribus nigrovariis, femoribus rufis basi et apice infuscatis, tibiis basi extus longius pallidis, intus a basi ad apicem sensim obscurioribus, apice nigro, tarsis fuscobrunneis. — ♂; long. 18 mm.

Species in *Hungaria centrali et meridionali* non rara.

var. Capite thoraceque latius pallido variis, macula genarum cum macula magna temporum coherente, prothorace ochraceo, mesopleurarum parte antica lineis mesothoracis, metathoracis apice letius concoloribus; colore pedum nigro minus distincto.

6. *Anomalon paradoxum* mihi (Holmgr. Sectio I. B.)

Præcedenti statura, forma scutelli, colore similis, sed clypeo evidenter mucronato et nervo areolari haud interstitiali discedens. Capite pubescente, pone oculos haud angustato, vertice sat lato; facie subtiliter densius punctata, cum clypeo, palpis, mandibulis apice excepto flavis, colore faciei supra antennis longius producto, genis nigris punctatis, temporibus sparsim punctatis, nitidis, macula magna rufa; antennis dimidio corpore longioribus, supra nigrofuscis, apicem versus et subtus sensim dilutioribus, scapo subtus flavo. Thorax pubescens, mesothorace sparsim sed concinne punctato, notaulis nullis; prothorace fortius punctato, angulis inferioribus rugosis rufis, callo ante tegulas latius rufoflavescente; mesopleuris fortiter punctatis, ante speculum sat politum rugosis, callo infra alas flavo. Epicnemiiis superne deletis, acetabulis mesosterni intermediis clausis. Scutello gibbo, fortiter punctato, basi vix marginato, sulculo medio vix conspicuo, utrinque rufomaculato; metathoracis sculptura subtiliore, dorso minus, lateribus fortius reticulatorugulosis, apice longius caudato. Abdomen rufum, petioli basi, vitta dorsali segmenti 2, segmento 6 et sequentibus nigris. Alæ flavescenti-hyalinæ, tegulis et radice flavidis, stigmatе flavorufo, nervo parallelo supero, inferiores nervello opposito, infra medium fracto. Pedibus anticis flavis, coxis muticis basi obscurioribus, femoribus postice rufescentibus; intermediis coxis nigris, apice flavis, trochanteribus et summa basi femorum rufescentium, apice tarsorum obscurioribus; posticis coxis et trochanteribus nigris, his subtus flavescentibus, femoribus rufis, basi apiceque nigris, tibiis extus flavescentibus,

intus et apice latius nigris, tarsis obscuris, basi articulorum, præcipue metatarsi fulva. — ♀; long. 17 mm.

In *Hungaria meridionali* ad thermas Herculis sacras *Mehadienses* inventum.

7. *Anomalon discrepans* mihi.

Species præcedenti statura, sculptura, antennis, forma scutelli similima, sed colore obscuriore, præcipue nervo areolari interstitiali discedens. Clypeo brevius mucronato, facie non tota flava, clypeo nempe apice, lineisque 2 longitudinalibus faciei nigris, thorace cum scutello toto nigro; abdomine basi latius, segmento 5 apice nigro. Pedibus obscurioribus, coxis totis nigris, trochanteribus minus pallidis; coxis anticis muticis. — ♂; long. 16 mm.

In *Hungaria centrali* ad Budapest collectum.

Die 3 letzten Arten, von denen die erste sicher eine *Barylypa* ist, sind einander so verwandt, dass sie natürlich zusammengehören; dennoch erscheint es fraglich, ob die Gattungsdiagnose, die Thomsou für *Barylypa* giebt, nicht geändert werden muss.

8. *Anomalon longicorne* mihi.

A. tenuicorni antennis corporis longitudini fere æqualibus nigris, subtus ferrugineis similis; sed colore obscuro pedum, alis, coxis anticis muticis certe distinctus. Capite sat magno, pone oculos haud dilatato, vertice lato; facie fere tota, mandibulis, genarum macula pallida, macula temporum fulva solito minore. Fronte rugosa, facie, genis, temporibus punctatis, his nitidis. Thorace toto nigro, mesothorace minus dense punctato nitido, mesopleuris fortiter rugosopunctatis, speculo distincto, epinemiis superne deletis. Scutello marginato, metathorace reticulato, dorso late et profunde canaliculato. Tegulis nigris; alæ anteriores nervo areolari interstitiali, nervo parallelo supero, posteriores nervello postfurcali, supra medium fracto. Pedes coxis nigris; trochanteribus apice pallidioribus; anticis rufis, intermediis nigris, femoribus apice, tibiis tarsisque concoloribus, his apice infuscatis; posticis fere totis nigris, tibiis basi ferruginentibus, tarsis fuscis, metatarso basi latius ferrugineo. Trochanteres postici trochantello fere duplo longiores. Abdomen nigrum, petioli apice, segmentis 2, 3, 4 rufis, 2 vitta solita nigra. Terebra petioli longitudine. — ♀; long. 18. mm.

In *Hungaria centrali* ad Budapest e *Phalera bucephala* exclusum.

9. *Anomalon flavipenne* mihi (Gruppe v. *A. cerinops* Gr.).

Capite thoraceque totis nigris, villosis, orbitis frontalibus vix rufis; palpis pallidis, mandibulis rufomaculatis; antennis nigrofuscis, subtus interdum dilutioribus. Abdominis petiolo apice plus minusve rufo, segmento 2 rufo, vitta dorsali nigra, tertio rufo, lateribus nigris, 4 nigro, macula magna basali fere ad apicem segmenti producta rufa, ceteris nigris;

alis flavescens, tegulis nigris vel piceis, nervis et stigmatibus pallidis; alæ anteriores nervo areolari *non incidente vel incidente*, parallelo longius infra medium cellulæ brachialis egrediente; posteriores nervello fere in medio fracto. Pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris, trochantello rufis, tibiis et tarsis flavescens, illis posticis apice plus minus infuscato vel nigro. Capite thoraceque fortiter rugosopunctatis, punctis sat magnis; scutello a basi ad apicem marginato, metathorace reticulatogoso, dorso vix excavato; epicnemii superne deletis, mesopleuris fortiter punctatis, speculo minimo, vix conspicuo, acetabulis intermediis nullis. — ♀; long. 18 mm.

Specimen unum ex *Hungaria*, verisimiliter e regione Budapestinensi.

Dieses merkwürdige Thier, von welchem ich auch 1 ♀ aus *Mecklenburg* und 1 ♀ aus dem *Wallis* besitze, zeigt die in der Beschreibung hervorgehobene eigenthümliche Schwankung in der Insertion des Nervus areolaris, also eines Merkmals, welches sonst als ein besonders zu beachtendes angesehen wird. Meine beiden Exemplare weichen von dem hier beschriebenen nur dadurch ab, dass dieser Nerv interstitiel ist. Sollte das Merkmal wohl den Werth haben, dem man ihm bisher beilegt? (Vgl. oben *A. humerale*, *paradoxum* und *discrepans*.)

10. *Anomalon varians* mihi.

A. Cerinopi simillimum, sed colore faciei et nervo areolari interstitiali discedens. Corpore villosa; capite pone oculos angustato rugosopunctato, nigro, mandibulis flavis, apice nigris, orbitis temporalibus rufis, facie vel tota nigra, vel orbitis faciei flavidis, interdum macula media flava. Antennis thoracem superantibus nigris. Thorace toto nigro, prothorace, pleuris fortiter rugosopunctatis speculo vix conspicuo, mesonoto subtilius punctato, subnitido, metathorace rugosopunctato, areis nullis, dorso haud excavato, apicem versus sat longe caudato; epicnemii superne deletis, notaulis nullis, mesoleo fere nullo, apice clauso. Tegulae nigrae, apice piceae. Alæ superiores stigmatibus rufis, nervo areolari incidente, parallelo infra medium cellulæ brachialis egrediente, posteriores nervello infra medium fracto, postfurcali. Abdomen petiolo rufo, basi summa nigra, segmento 2 rufo vitta dorsali solita, 3, 4 rufis, ceteris nigris, apice summo piceis. Pedes rufi, coxis et basi trochanterum, femoribus posticis maxima parte, tibiis posticarum apice late nigris; tarsis rufis, posticis apice vix infuscatis. Femoribus, tibiis et tarsis ♂ anterioribus antice flavis, femoribus postice rufis, basi vix obscuris. — ♀; long. 9—16 mm.

E *Hungaria centrali et meridionali*.

Diese in der Gesichtsfärbung sehr veränderliche Art steht in der Färbung dem *A. cerinops* sehr nahe; im Flügelgeäder ist sie *fibulator* Gr. verwandt. Sonderbarerweise ist sie nirgends beschrieben, obwohl sie nicht selten zu sein scheint.

11. *Campoplex calceatus* mihi. (Thoms. Sectio I. Divisio II.)

C. Oxyacanthae similis, sed multo minor. Capite pone oculos angustato, vertice lato, epinemiis superne deletis, medio bilobis. Capite thoraceque rugosopunctatis, opacis, tegulis nigris, metathoracis areis nullis, dorso leviter excavato, postice transversim strigoso; mesopleuris sat fortiter punctatis, nitidis, ante speculum politum striolis valde distinctis. Abdominis segmentis 2 primis nigris, secundi apice vix flavescente, tertio flavo, basi quarti vix concolore, tertio linea marginali nigra nulla. Pedibus nigroflavoque variis, femoribus anticis subtus basi nigris, mediis nigris, apice flavis, posticis nigris; tibiis tarsisque anticis flavorufis, posterioribus flavis, mediis apice intus obscurioribus, posticis apice nigris, nigredine fere ad medium tibiæ assurgente, tarsis fuscis. Terebra brevi. Alæ stigmatè flavo, areola sat magna, brevissime petiolata, nervum recurrentem fere in medio excipiente. — ♀; long. 7—8 mm.

Tria exemplaria ad *Budapest* inventa.

12. *Campoplex signator* mihi.

C. confuso Först. propter postpetiolum utrinque rufonotatum similis, sed mandibulis et palpis rufoflavis, capite pone oculos angustato, fronte supra antennas subimpressa, carina media distinctiore; pronoto inferne fortiter strigoso, epinemiis superne deletis, mesopleuris nitidis, parcius sed fortiter punctatis, striolis ante speculum sat conspicuis; mesothorace opaco, rugosopunctato. Scutello gibbo, ad medium marginato, longius albosericeo; metathoracis vix excavati, longius albosericei areis præter supersexternam distinctissimam deletis, spiraculis magnis ovalibus, excavatione postice fortiter transversim strigosa, utrinque lateribus carinis nonnullis transversis valde conspicuis. Alis stigmatè fusco, areola magna sessili, interdum quinque-angulari, nervum recurrentem fere in medio excipiente. Abdomine fortius compresso medio late rufo, segmento primo utrinque apice, 2 lateribus, tertio rufo dorso nigro, striga supramarginali nigra sat longa, quarto rufo, linea dorsali et apice supra nigris, sequentibus supra nigris, subtus rufis. Pedibus anticis rufoflavis, coxis basi nigris, posterioribus coxis et trochanteribus nigris, femoribus mediis dimidio basali obscuriore, posticis apice vix dilutioribus, tibiis mediis testaceis, tarsis apice infuscatis, tibiis posticis testaceis basi apiceque obscurioribus, tarsis fuscis. Corpore toto longius albosericeo, tibiis metatarsisque subspinoso-setosis. — ♀; long. 13—15 mm.

In *Hungaria septentrionali* ad *Nagy-Röcze* (*Com. Gömör*) duae feminae inventæ.

13. *Campoplex areolatus* mihi (Thomson, Sectio II, Phal. II. cohors 2. dd. c.).

C. flavipalpi affinis, sed major. Niger, abdominis medio, pedibusque maxima parte pallidis, mesopleuris opacis, subtus punctatis, supra ante speculum opacum subtilissime striolatis. Palpis mandibulisque stramineis,

capite pone oculos angustato, thorace fortius punctato, opaco, tegulis nigris; alæ costa et stigmatibus brunneis, areola lata, petiolata, nervum ante medium excipiente. Metathorace areis rugosis, completis, supero externa, dentipara, angulari undique costis elevatis oclusis, dentipara fere denticulata. Abdominis segmenti 1 glymmis distinctis, segmenti secundi apice, tertio rubro, quarto nigro, basi parum, inferne latius rubro; ceteris nigris, sat nitidis, minus pubescentibus. Segmenti 3 epipleuris ultra medium nigronotatis. Coxis nigris, anticis apice pallidis; femoribus tibiis tarsis anticis pallidis, mediis præter trochanteres et basin femorum concoloribus; posticis femoribus nigris, tibiis et tarsis pallidis, illis apice infuscatis. — ♀; long. 13 mm.

Femina unica e regione *Budapestinensi*.

14. **Angitia sanguinicoxa** mihi.

Angitia chrysostictæ Gr. simillima, sed coxis omnibus sanguineis, anterioribus maris apice pallidis; scapo antennarum ♂ subtus, mandibulisque flavis, pedibus pallidis, tibiis ♂ posticis basi apiceque nigricantibus. Trochantere postico ♀ nigro. — ♂ ♀; long. 5—6 mm.

Species e regione *Budapestinensi* oritur.

NEUE ODER WENIG BEKANNTE TENTHREDINIDEN
 UND
 EINE ANALYTISCHE ÜBERSICHT DER GATTUNG HOLCOCNEME KNW.

VON FR. KONOW,
 p. Teschendorf bei Stargard i. Mecklenburg.

1. SIREX CARINTHIACUS KNW. ♂

Nachdem bisher der von mir in der Deutsch. Ent. Zeitschrift 1891, p. 210 beschriebene *S. Carinthiacus* nur im weiblichen Geschlecht bekannt war, finde ich zu meiner besonderen Freude unter einer Anzahl dem National-Museum in Budapest gehöriger Tenthrediniden, das entsprechende Männchen. Da dasselbe dem *juvencus* und *noctilio* sehr ähnlich ist, so genügt es, die wichtigsten Unterscheidungsmerkmale herauszustellen. Die Färbung ist gleich, nur der Hinterleib ist mit Ausnahme der drei ersten Rückensegmente bei dem einzigen vorliegenden Exemplar ganz roth, und die Fühler sind wie bei *noctilio* schwarz. Der spezifische Unterschied liegt in der Form des achten Rückensegmentes. Dieses ist bei den beiden verwandten Arten in der Mitte kaum vorgezogen und breit zugerundet, bei *Carinthiacus* dagegen ziemlich lang vorgezogen und an der Spitze schmal zugerundet. Ausserdem ist das letzte Bauchsegment viel schmäler eingeschnitten und zeigt einen, besonders auf der hinteren Hälfte des Segmentes sehr deutlichen, scharfen Kiel, von dem bei den beiden anderen Arten keine Spur vorhanden ist. Das vorliegende Exemplar, welches von *Borosznó** stammt, ist 2 cm. lang. Gleiche Grösse erreicht auch das Weibchen, für welches als charakteristisches Merkmal noch nachzutragen ist, dass die unter dem Enddorn liegende Afteröffnung ausserordentlich gross, gut doppelt so gross ist, als bei Exemplaren gleicher Grösse von *juvencus*.

2. ARGE RUFESCENS ZADD. ♂

ZADDACH hat in Schrift. d. phys. ökon. Ges. Königsberg 1863, p. 108 ein weibliches Exemplar unter dem Namen *rufescens* beschrieben, ohne das Vaterland angeben zu können; und diese Art ist seitdem nirgends wieder erwähnt worden, so dass dieselbe als eine zweifelhafte angesehen werden musste. Im vorigen Jahr erhielt ich ein weibliches Exemplar von

* Aus Ober-Ungarn (Com. Zólyom).

Sarepta, das recht gut zu ZADDACH's Beschreibung stimmt; nur ist das Pronotum fast ganz braunroth und zeigt nur kleine dunkle Flecke, so dass immerhin noch einige Zweifel übrig blieben, ob es wirklich die echte *rufescens* sei. Jetzt finde ich unter den Schätzen des Budapester National-Museums ein Pärchen, dessen Weibchen genau der von ZADDACH gelieferten Beschreibung entspricht; denn das sonst dunkle Pronotum zeigt an den Seiten nur kleine röthliche Flecken.

Das zugehörige Männchen ist dem andern Geschlecht völlig gleich gestaltet und fast ebenso gefärbt, nur die Fühler, die beim ♀ braunröthliche Farbe zeigen, sind ganz schwarz, und das Pronotum ist dem Kopf und Thorax gleichfarbig, ungefleckt.

Die Art kann mit einer anderen kaum verwechselt werden. Der ZADDACH'schen Beschreibung ist hinzuzufügen, dass Kopf und Thorax mit feiner grauer Pubescenz bedeckt sind. *A. Pyrenaica* ANDRÉ, bei der sich ähnliche Farbenvertheilung findet, ist auf dem tiefschwarzen Kopf und Thorax schwarz behaart. Unter den grau behaarten Arten giebt es keine andere, welche bei sonst hellen Flügeln eine solche schwarzbraune Füllung der Intercostalzelle besässe.

Nach ZADDACH ist die zweite rücklaufende Ader interstitial, und so verläuft dieselbe auch bei meinem Exemplar von *Sarepta*. Bei beiden ungarischen Exemplaren aber mündet die zweite Kubitalzelle in deutlicher Entfernung von der zweiten Querader, u. zwar beim ♂ in beiden Flügeln, beim ♀ im linken; der rechte Flügel hat abnormes Geäder, da die zweite Kubitalquerader fehlgeschlagen ist.

Das vorliegende Pärchen ist bei *Kalocsa* in *Central-Ungarn* erbeutet worden.

3. POECILOSOMA HUNGARICA n. sp. ♀

Nigra, nitida, pube tenui grisea obtecta; labro et mandibularum apice rufo-piceis; pronoti limbo, tegulis, genibus, tibiis et tarsorum basi lata albidis; abdominis segmentis 1—6 utrobique macula pallida membranacea angusta ornatis; alis subhyalinis, costa et stigmatibus sordide albis, illo medio obscurato.

Caput latum, pone oculos haud angustatum; clypeo subdeplanato, medio elato, apice bis-emarginato; antennis tenuibus, vix compressis, subfiliformibus, abdomen longitudine superantibus; vertice latitudine sua fere duplo latiore. Vagina tenuis, longius exserta. Unguiculi simplices. — Long. 7 mm.

Patria: **Hungaria.**

Durch die Form des Clypeus kommt diese Art der *Pocil. undulata* nahe; doch ist bei der neuen Species der mittlere Clypeuszahn schmäler als die beiden seitlichen; auch sind hier die Fühler viel länger und dünner

als dort. Die Färbung der Hinterschienen erinnert an *excisa* THMS., doch hat diese ein einfach und tief ausgeschnittenes Kopfschildchen.

Nur ein weibliches Exemplar liegt vor von *Mehádia*.

4. DOLERUS MOCSÁRYI n. sp. ♂ ♀

Niger, subnitens, pube tenui longiore obtectus; capite pone oculos coarctato; facie et mesopleuris rugosis, opacis; temporibus subdepressis, haud sulcatis, iuxta verticem sparsim punctatis, intervallis nitentibus; vertice subelato, utrinque sulcis brevibus determinato, longitudine sua fere duplo latiore; mesonoti lobis et scutello in media parte sparsius punctatis, subnitentibus; abdominis segmentis dorsalibus maris 3, feminae 4 anterioribus fere politis, nitentibus, subglabris, ceteris subrugulosis et pubescentibus.

♂ antennis gracilioribus et brevioribus, abdomen longitudine superantibus, usque a basi ad apicem vix attenuatis; segmento 8 o dorsali bis longitudinaliter impresso, spatio intermedio elato, sublavi, nitente.

♀ antennis abdomine brevioribus, ante apicem subdilatatis; vagina mediocri, ante apicem parum dilatata, apice anguste rotundata. — Long. 8—9 mm.

Patria: **Hungaria.**

Die neue Species, die ich dem um die Hymenopterologie so hochverdienten Herrn A. Mocsáry widme, ist mir bisher nur in einem Pärchen bekannt geworden. Das Männchen ist bei *Szóllóske* in Ober-Ungarn, das Weibchen bei *Rákos*, unweit von Budapest im April erbeutet worden.

Durch die Form der weiblichen Sägescheide ist diese Art mit *gibbosus* HTG., *niger* L., *coruscans* KNW., *aeneus* HTG., *sanguinicollis* KLG., *fumosus* ZADD. und *brevicornis* ZADD. verwandt, von allen durch die fast polierten ersten Rückensegmente des Hinterleibes verschieden. Am nächsten steht sie dem *gibbosus* HTG., mit dem sie aber wegen ihrer viel geringeren Grösse kaum verwechselt werden kann. *D. gibbosus* ist 10—12 mm. lang und gehört zu unseren grössten Arten. Ausserdem sind dort die Fühler des ♂ wenig kürzer als der Rumpf und viel stärker zur Spitze verdünnt, die Fühler des ♀ aber sehr schwach in der Mitte verdickt, während bei der neuen Art die stärkere Verdickung hinter der Mitte liegt. Endlich ist das Rückenschildchen bei *gibbosus* viel weitläufiger punctuliert, kaum behaart, und zeigt starken Glanz, der zumal beim ♂ der neuen Art sehr gering ist. *D. brevicornis* ZADD. ♂ hat dickere, kaum zur Spitze verdünnte Fühler, während die Fühler des ♀ in der Mitte verdickt sind; und die Sägescheide ist viel dicker. *D. coruscans* KNW. hat einen viel grober punktierten Oberkopf, viel dickere Sägescheide, und die Radialquerader ist fast interstitial, während dieselbe hier weit vor der zweiten Kubitalquerader liegt. *D. fumosus* ZADD. hat viel dunklere Flügel, und die seitlichen Scheitelfurchen sind

sehr undeutlich. *D. niger*, *aeneus* und *sanguinicollis* var. *ravus* haben deutliche Schläfenfurchen.

5. LYGÆONEMATUS ROBUSTUS n. sp. ♀

Niger, subopacus, cinereo-pubescens; labro palpisque et genibus, tibiis tarsisque anticis antice dilute rufo-fuscis; pronoti angulis vix fuscolimbatis; tibiarum posticarum basi alba; capite crasso, pone oculos vix coarctato; antennis gracilibus, abdomen longitudine haud superantibus; sulco interantennali lato et profundo; vertice magno, longitudine sua duplo latiore; capite et mesopleuris minus dense punctulatis, subnitentibus; mesonoto et pectore densius punctulatis, subopacis; tibiarum posticarum calcaribus pallidis, metatarsi dimidium non attingentibus; alis hyalinis, nervis fuscis, costa pallido-fusca, stigmatate nigro-fusco; abdomine subtilissime et densissime punctulato, subopaco, apice inde a segmento 5-o compresso; vagina apice excavata, superne invisae apice bifida, a latere invisae apice truncata, angulo supero rotundata. — Long. 11 mm.

Patria: **Bohemia.**

Leider nur ein einziges weibliches Exemplar liegt mir vor, das durch seinen robusten Körper, das schwarzbraune Stigma und die matte Oberseite an die grossen *Holcocneme*-Arten erinnert. Aber das gerade abgestutzte Kopfschildchen und die eigenthümliche Bildung der Sägescheide verweisen die Art in die nächste Verwandtschaft des *Lygaeonematus compressus* Htg. Letztere Art gilt vielfach noch für eine blosse Varietät von *Saxeseni* Htg., ist aber durch dieselbe Form der Sägescheide, wie sie oben beschrieben wurde, davon durchaus specifisch verschieden. Bei *Pini* Retz. findet sich gleichfalls eine ähnliche Bildung der Sägescheide. Von den verwandten Arten unterscheidet sich die neue Species durch den viel robusteren Körper, durch viel breiter abgestutzte Sägescheide und durch viel dichtere Sculptur des Mesonotum und des Hinterleibes.

GEN. HOLCOCNEME KNW.

- | | | | |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|-----|---------------------|
| 1. Kopfschild an der Spitze deutlich und tief ausgeschnitten | --- | --- | 2. |
| — „ an der Spitze schwach ausgerandet | --- | --- | 5. |
| 2. Hinterleibsmittle mehr-weniger hell gefärbt | --- | --- | 3. |
| — Hinterleib ganz schwarz | --- | --- | 4. |
| 3. ♀ Mesopleuren sehr dicht punctuliert, matt; Fühlglied 4 mit Ausnahme seiner Basis und Glied 5 ganz, sowie mehr-weniger die Seiten des Hinterleibes weiss; Mitte des Hinterleibes roth. — Länge 11—12 mm. | | | |
| | | | 1. H. insignis Htg. |
| — Mesopleuren schwach punctuliert mit einigem Glanz; Fühler beider | | | |

Geschlechter schwarz; das dritte und vierte Hinterleibssegment mehrweniger weisslich, oder nur die Ränder bleich. — Länge 10—13 mm.

2. H. princeps ZADD.

4. Scheitel gross, doppelt so breit, als lang; Sporne der Hinterschienen viel kürzer als der halbe Metatarsus; ♂ Eindruck auf dem achten Rückensegment gross und deutlich; der dicke Mittelkiel überragt nicht das Segment; ♀ Sägescheide von der Seite gesehen oben gerade mit scharfer Ecke am Ende. — Länge 8—11 mm.

3. H. coeruleocarpa Htg.

- Scheitel klein, um die Hälfte breiter als lang; der längere Sporn der Hinterschienen gut halb so lang, als der Metatarsus; ♂ achties Rückensegment am Ende ohne deutlichen Eindruck; der Mittelkiel liegt fast ganz ausserhalb des Segmentes; ♀ Sägescheide von der Seite gesehen, mit stumpfer Spitze ungefähr in der Mitte. — Länge 8—11 mm.

4. H. crassa FALL.

5. Kopfschild in der Mitte des Vorrandes schwach ausgeschnitten; Klauen-
spitze scharf, zweispaltig; Mesopleuren fein, weitläufig punctuliert;
Körper schwarz 6.

- Kopfschild am Ende über seine ganze Breite schwach ausgerandet;
Klauen mit Subapicalzahn; Hinterleib in der Mitte roth 7.

6. ♀ Der längere Sporn der Hinterschienen kaum so lang als der halbe
Metatarsus; Beine schwarz, und nur die Trochantern und die Basis der
Schienen weiss. — Länge 11 mm. **5. H. Yokohamensis** n. sp.

- Der längere Sporn der Hinterschienen fast $\frac{2}{3}$ so lang als der Metatar-
sus; Beine hell gefärbt, und nur die Hüften schwarz, die Schenkel
röthlichgelb, die Trochantern und die Schienen weisslich; an den
Hinterbeinen die Tarsen, das Ende der Schienen und die Knie schwarz.
Länge 7—9 mm. **6. H. Wahlbergi** THOMS.

7. Hinterleib eiförmig; Mesopleuren weniger dicht punctuliert; Scheitel
länger als die beiden ersten Fühlerglieder zusammen; Subapicalzahn
der Klauen kurz; die Schienen gelblichweiss, an den Hinterbeinen die
Knie, das Ende der Schienen und die Tarsen schwarz; am Mittelleib
nur die Pronotumecken und die Flügelschuppen bleich. — Länge
8—9·5 mm. **7. Erichsoni** Htg.

- Hinterleib bei beiden Geschlechtern fast kegelförmig; Mesopleuren sehr
dicht punctuliert, matt; Scheitel nicht länger als das erste Fühlerglied;
Subapicalzahn der Klauen lang; Seitenlappen des Pronotum, Flügel-
schuppen und Beine ganz roth, und nur an den Hinterbeinen die
Spitze der Schienen und die Tarsen schwarz. — Länge 8—10 mm.

8. H. lucida PANZ.

ad 1. *H. insignis* Htg. ♀. — Leider fehlt noch immer das Männchen dieser ebenso seltenen als schönen, und besonders durch die bei *Nematiden* ganz ungewöhnliche Färbung der Fühler überraschenden Species. Ein weibliches Exemplar wurde von Herrn LANGE-ANNABERG im Erzgebirge erbeutet und mir freundlichst mitgetheilt. Ausser aus *Deutschland* ist die Art nur aus *Schweden* bekannt.

ad 2. *H. princeps* ZADD. ♂ ♀ — ZADDACH hat nur das Weibchen dieser gleichfalls seltenen Art gekannt und beschrieben. Das Männchen, welches mir aus der *Schweiz* vorliegt, entspricht dem Weibchen völlig; nur sind das Kopfschildchen und die Flügelschuppen weisslich, die Lippe bräunlich, der Hinterrand der Pronotumecken röthlich. Am Hinterleibe ist das dritte und vierte Rückensegment grösstentheils braun mit bleichen Rändern; der Bauch ist am Grunde weisslich. Der Hinterleibrücken ist sehr fein und dicht querstrichelig mit geringem Glanz. Das achte Rückensegment hat in der Mitte einen grossen breiten Eindruck mit ziemlich scharfem, das Ende überragenden Mittelkiel; die grossen breiten Zangen sind schwarz, die untere Afterklappe ebenso, am Ende etwas dreieckig ausgezogen; die Fühler so lang wie der Körper, etwas komprimiert.

ad 3. *H. coeruleocarpa* Htg. ♂ ♀ — Bereits THOMSON hat diese Art durch sichere plastische Merkmale von der folgenden, unter dem Namen *brachyacanthus* unterschieden. Darum hätte sich ZADDACH nicht berufen fühlen sollen, beide Arten zu vermischen. Was die Benennung betrifft, so hat HARTIG mit dem Namen *sulcipes* sicher den *N. crassus* FALL. bezeichnet. Dafür beweisen die Worte in seiner Beschreibung: «Hüften und Schenkelringe an der Basis, Hintertarsen und Tibien schwarz», denn bei der anderen Art pflegen die Trochantern und das Ende der Hüften bleich, weisslich-gelb zu sein; und die Hinterschienen sind nur an der Spitze schwarz, während sie bei *crassus* stets bis auf den schmaleren oder breiteren Grund schwarz gefärbt sind. Wenn schliesslich auch die Randader als schwarz bezeichnet wird, so ist das ein Versehen oder Druckfehler. Nun wäre es ja möglich, dass HARTIG ein kleineres Exemplar derselben Species, zwei Nummern weiter, unter dem Namen *coeruleocarpus* beschrieben hätte, denn die geringen Färbungsunterschiede sind unsicher, und plastische Unterscheidungsmerkmale führt er nicht an. Aber im KLUG'schen Museum steckt ein Exemplar, das wahrscheinlich schon von KLUG mit dem Namen *coeruleocarpus* bezeichnet worden ist, und das der HARTIG'schen Beschreibung offenbar zu Grunde gelegen hat. Daraus erklärt sich auch der auffällige Umstand, dass HARTIG zwischen beiden Arten einen Unterschied in der Färbung des Flügelmales will wahrgenommen haben. Der Name *coeruleocarpus* muss der von THOMSON als *brachyacanthus* unterschiedenen Species verbleiben.

Dass HARTIG die zwischen beiden einander sehr ähnlichen Arten vor-

handenen Färbungs-Unterschiede richtig herausgestellt hat, ist schon oben gezeigt. Umsoweniger Ursache hatte FÖRSTER den *coeruleocarpus* HTG. = *crassus* FALL. zu setzen und nun seinen *brevispinis* davon zu unterscheiden, ohne doch denselben besser zu beschreiben, als HARTIG seinen *coeruleocarpus*. Die von FÖRSTER entdeckten plastischen Unterschiede, abgesehen von der Länge der Tibiensporne, sind nämlich gar nicht vorhanden. Offenbar hat er auch hier wie gewöhnlich, nur ein einziges Männchen besessen, dem er ungeschickter Weise beim Einfangen künstliche plastische Merkmale beigebracht haben dürfte.

